

JOANNIS OLIVÆ
RHODIGINI
IN MARMOR ISIACUM
Romæ nuper effossum
EXERCITATIONES,
AD
REVERENDISS. P. MAGISTRUM
F. ANTONINUM
CLOCHE
TOTIUS DOMINICANÆ FAMILIÆ
GENERALEM.



ROMÆ M. DCC. XIX.
Apud Jo: Mariam Salvioni Typographum Vaticanum.
In Archigymnasio Sapientiæ.

SUPERIORUM FACULTATE.



REVERENDISSIMO PATRI MAGISTRO

F. ANTONINO CLOCHE

Totius Dominicanæ Familiæ Generali.

JOANNES OLIVA F.



ARMOR Isidi sacrum repertum in tuo, PATER REVERENDISSIME, & a nobis qualicumque hac Dissertatione in tuo pariter illustratum tibi dedicandum jure censuimus, secuti leges, quibus rectissime sancitum est, ut qui in loco domini thesaurus effoditur, totus ille ad dominum deferatur.

Illud igitur tibi offero libens, & offero cum ornamentis conjunctum, quæ ex celeberrima Hieronymi Casanatæ Cardinalis amplissimi Bibliotheca licuit mihi per otia, quibus fruor in domo Illustriss. ac Reverendiss. Josephi Mariæ Feroni, ornatissimi ac eruditissimi Præsulis, derivare. Neque ulla oboritur mihi suspicio dubitandi, quin nunc me, & ea, quæ sunt à me profecta tenuiter excipiat benigne natura illa tua mitis cognita omnibus probeque perspecta. Hæc enim tuos detinet tam mirifice captos atque illectos, ut te cum in longæva ętate, tum in imperio diuturno omnes salvum & incolumem semper velint: atque ejusmodi in aperto ac propatulo audiantur de te dicta laudabiliter, de illustri scilicet Dominicana Familia vel minimi privati caussa doloris mutata adhuc voluntate erga te esse neminem, displicere te nemini: imo acceptissimos omnes tibi se, te omnibus probare carissimum: tamque mutuis benevolentiæ significationibus tuorum pectora obligari tuo, atque obstringi, ut tu, REVERENDISSIME PATER, in felicitatis eorum, Alumni vero Optimi

mi in tuæ æternitatis vota conſpirent. Nec ignoro amorem Principum quoque te tibi conciliaſſe maximorum per hæc omnia ſolida ac vera permiſta doctrina; cui, quamvis per ævum ingraveſcens juſta donare vacatione te ipſe deberes, das tamen ſedulam operam atque anxiam, inſigne omnibus documentum, ſed præſertim delicatiſſimis, corporis habitudinem ſtudiorum contentione deteri, vitæque curſum imminui poſſe credentibus, cum tu nonaginta & eo amplius natus annos in matura verſeris lectione divinorum quam firmiſſima incolumitate. Demeruerunt certe virtutes tuæ magnæ omnes, omnes a gravitate, prudentia, ac lenitate profectæ magnum Hieronymi Caſanatæ animum, qui una cauſſa tua Cœnobium Minervitanum delegit ornandum quamplurimis & iis quidem lectiſſimis voluminibus, cenſu addito, ut alii compararentur in annum: legato ære pariter, ut ſex Theologi ex variis electi nationibus Sedis Apoſtolicæ imperio addicerentur: ut implerentur etiam Theologiæ Cathedræ doctiſſimis Profeſſoribus; ex quibus omni-

bus cuivis legenda, audienda gratis ſuppeditarent: atque inter ea, quæ ſuſpicimus Romæ opera, Bibliothecam totius Europæ facile principem Itali transalpinique admiraremur. Hæ profecto fuerunt præclaræ laudes, propriæ tuæ: ex quibus ſi fructum jucunditatis incredibilis tum primum cepiſti, cum ab Eminentiſſimo dignitate Viro ad te ſunt illæ delatæ, nunc tibi eſt multo uberiore lætitia exultandum, quod ingentem ædificii molem, te rem Dominicanam moderante ſapienter, multis ante annis excitatam, infinitoque propemodum librorum numero hoc tempore laborantem, te item ſoſpite, nova loci adjectione ampliatam intuebimur. Atque hoc beneficium à nobis recolendum memoria temporum omnium ſempiterna debemus ALEXANDRO ALBANO CLEMENTIS XI. Fratris Filio, qui cum lectiſſima polleat eruditione, conquiſitis undique antiquitatis Romanæ monumentis, & cum Sanctiſſimi Pontificis amorem in literas æmuletur, retulit publice de illis ædibus amplificandis, & retulit tam ſtudioſe, tam graviter, tamque ex ve-

ris

ris,quibus eminet etiam Juriſprudentiæ inſtitutis,ut illi ſit aſſenſus Clementiſſimus Princeps, multa de te, PATER REVERENDISSIME, multa de Ordine tuo, multa de Bibliothecæ munificentiſſimo Auctore, magna Purpuratorum Virorum adſtante frequentia, honorifice pronunciando. Voluit CLEMENS XI. quemadmodum, tot Urbis ædificia ab extremo occaſu vindicata in formam priſci ævi redegit, ita hoc publicum opus in majorem longitudinem ſplendoremque reſtitutum cum ipſa vetuſtate certare. Huc vero beneficum animum cum flecteret, eo opinor illum flexiſſe facilius, quod duo agerentur, quæ non tam aliena, aut urbis decora univerſæ, quam propria ſua putaret unice. Agebatur ejus Bibliothecæ celebritas, quam ſub glorioſiſſimi Pontificatus initia eductam in altum, ſtatuit ſæpius honeſtandam præſentia ſua, & auguſtis auſpiciis tuendam; de qua ſunt ab eo tam multa decreta magnifice, ut non tam Caſanatenſis, quam CLEMENTINA dici poſſe videatur. Ille quoque agebatur, qui erupit ab ortu primo ex animo ejus erga

optima ſtudia irrequietus ardor, relictis nobis Græcæ Latinæque facundiæ graviſſimis ac doctiſſimis monumentis, quæ fuerunt linguis ac literis omnium celebrata. Neque enim is impetus, qui ad ſcientiarum bonarumque artium gloriam incitabat ſua ſponte currentem, poſtquam illum Pontificem veneramur, ex ejus pectore eſt ſolum effuſus. Hic ignis etiam antequam in Cardinalium numerum cooptaretur, exarſit. Dubitabimus? Jam tum ab illo iſtæ audiebantur præclariſſimæ voces, ſi, quod ipſius doctiſſimo Patruo contigerat, in Vaticana Bibliotheca conſeneſcere potuiſſet, adepturum ſe fuiſſe ſatis ad vitæ ſuavitatem, ſatiſque ad immortalitatem nominis conſequendam. O animi moderationem inauditam, o virtutem incredibilem, ac dignam non quæ in privato loco deliteſceret, ſed quæ exerta, & publice propoſita omnibus proximas à Deo in terris occuparet diutiſſime ſedes, unde Chriſtiana Reſpublica, Senatus Populuſque Romanus, literæ, earumque cultores fructus quam ampliſſimos obtinerent! Quamquam horum

præ-

præcipue amat dici Pater, & Custos: his ad se aditus patefactos jubet esse frequenter: hos in magna gloria ponit tueri patrocinio posse, atque fovere. Vidi ego, vidi, ubi ejus Archiater, tertium ab Hippocrate, & Galeno lumen Medicæ artis totius Europæ clarissimum, primusque docens cum scientiis eloquentiam conjungi posse, Joannes Maria Lancisius ad tantam Majestatem deduxit me novum hominem, nulla doctrinæ commendatione florentem, affixurum oscula pedibus; vidi, inquam, quam non sit me explicata fronte intueri dedignatus: appellare humanissime: variis me percunctari de rebus, hortari ad studia impensius, meamque erga illa voluntatem amantissimis verbis constabilire. Sciant igitur omnes talem ac tantum esse CLEMENTEM XI. sciant Collem Quirinalem evasisse Sapientiæ Arcem, ac domicilium literatissimorum, cum ipse tamquamDux doctissimus ac sapientissimus Battellum, Alemannum, Lancisium, Majellum, Fontaninum, Blanchinum, Luchesinum, Bertonum quasi signo dato illuc acciverit, qui con-

contra quodvis genus barbarorum feliciter pugnam capeſſant, feliciſſimeque aliquando conficiant. Tu quoque ſcito, Reverendissime Pater, Pontificem hoc animo præditum magno ſcilicet, & in te tuoſque propenſo, conſiliis tuis, quæ ad Bibliothecam Caſanatenſem amplificandam, ornandam, ac defendendam pertinebunt, nullo unquam tempore defuturum. Perge quidem de Ordine tuo Religioſiſſimo, uti facis, benemereri. Aut enim hac via ad famæ claritatem, quam præclare factis abunde es conſecutus, aut nulla alia præterea contendimus. Quod autem hoc Emporium bonarum artium jubet Pontifex in majorem amplitudinem excreſcere, tanti ejus facere immortale beneficium debes, quanti illius, qui res ab exiguis initiis profectas ad perfectum cumulatumque incrementum verenda auctoritate perducit. Hac igitur de cauſſa illi a te non ſolum erunt gratiæ nunc agendæ, ſed habendæ ſemper in poſterum: habendæ etiam pro hoc effoſſo Marmore Iſidis, quod niſi de indulgentia Optimi Principis opus ſuſcipiendum curaſſes, perpe-

tua

tua oblivione obrutum eruditorum ordo desideravisset. Sed jam finis sit, REVERENDISSIME PATER, te a divinis studiis promisso sermone ulterius avocandi. Inspice potius, & tuum agnosce Isiacum Lapidem, & ea quæ illius explicationem circumstant. Me vero jam nunc primum tibi sistentem in fidem tuam ita recipe, ut de hac mea mediocri facultate tamquam tua de re ad voluntatem constituas. Vale Romæ Non. Aug.

INDEX CAPITUM

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

ptorum. Septis vicinum templum Isidis. Athanasius Kircherus notatur. Quid sentiat de Iseo, atque ejus situ. Ex duobus templis Iseo ac Serapeo unum inepte facit.

CAPUT IV.

Quid sit Marmor. An Ara votiva? Ara Apollinis, Jovis Conservatoris. An basis? Est Marmor Votivum. Isis omnia feminina Numina continet. Dii apud veteres masculo-feminæ. Isis atque Osiris inter Signa Panthea relati.

CAPUT V.

Quæruntur causæ quare hoc Marmor Isidi positum. Isis præerat navigationi. Item Dea salutis. Numina quare variis nominibus invocata.

CAPUT VI.

Conjecturæ de Vase unde eminet serpens in primo Marmoris latere. Isis eadem ac Ceres. Cereri serpentes tributi. De Cista. Bacchus idem atque Osiris. Κανηφόροι quid.

CAPUT VII.

Apulejus de Urnula quadam nostræ simili locutus est. Serpentes quare sacri. De Marmoris serpente. Ægyptii Thermutin præsertim colebant.

Mo-

Movere caput quid. Quare Isidi atque Osiridi sacri serpentes.

CAPUT VIII.

Isidem sub Urnulæ nostræ figura contineri. De Diis informibus mentio.

CAPUT IX.

De Luna quæ in Urnula nostra. Ea est Isis. Multa de Luna ab Ægyptiis culta; & quare. Luna in amatoriis rebus invocata.

CAPUT X.

De Osiridis Capite. Ipse cum Iside bonæ valetudinis Præses. Ægroti in templum Serapidis ducti. De Ave, quæ in Marmoris fastigio spectatur. De Accipitre atque Ansere Isidi atque Osiridi sacris.

CAPUT XI.

Alterum Lapidis Isiaci latus. Anubis. De Palma, & Situla quas gerit. Tertium latus explicatur, ubi Discus, Dolabrum, & Vasculum, & Flos in eo.

CAPUT XII.

De Harpocrate pauca. Lotus. Arbor Persica Isidi, & Harpocrati sacra. Clauditur Dissertatio.

IM-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

Th. Cervinus Epiſc. Heracleæ Viceſger.

JOannis Olivæ Rhodigini *In Marmor Iſiacum Exercitationes* Reverendiſſimi P. F. Gregorii Selleri Sac. Pal. Apoſt. Magiſtri juſſu legi: Quo quidem in Libro nihil deprehendi, quod cum Catholica Religione ac probatis moribus omni ex parte non conſentiat. Quamobrem Librum non paſſim obvia eruditione refertum, eleganterque conſcriptum omnibus antiquitatis, & ſelectioris literaturæ ſtudia merito æſtimantibus omnino probatum iri, iiſque perquam jucundum futurum, ideoque digniſſimum, quod in lucem prodeat meo qualicumque ſuffragio cenſeo.

Romæ e Cœnobio Minervitano Non. Auguſti 1719.

Fr. Thomas Maria Minorellus Ord. Præd. Sac. Theol. Mag. & Bibliothecarius Caſanatenſis.

IMPRIMATUR.

Fr. Gregorius Selleri Sac. Palat. Apoſt. Magiſter Ordinis Prædicatorum.

IN



IN MARMOR ISIACUM EXERCITATIONES,

CAPUT I.

Scribendi occaſio. Joannes Benedictus Joannellius, Thomas Maria Minorellius Caſanatenſis Bibliothecæ Præfecti. Quando, & quo in loco Marmor Iſidis effoſſum. Venia petitur, ſi quæ ad Iſidis cultum ſpectant, potiſſimum poſt Laurentium Pignorium, ac Gisbertum Cuperum retractantur. Iſiaci Marmoris Tabula.



CUM ſub veſperam ſoleam me in Cœnobium Minervitanum erudiendi animi gratia ſæpe conferre, ibique doctiſſimos Caſanatenſis Bibliothecæ Præfectos, Magiſtros ſcilicet Joannem Benedictum Joannellium Venetum, ac Thomam Mariam

riam Minorellium Patavinum convenire, mirum qua me ſentiam ex illorum liberalibus atque eruditis ſermonibus voluptate perfundi. Illud enim dicam ingenue plane, quod ſemper per quos profecerim fateri voluerim, ex eorum me colloquiis nunquam diſcedere, quin inſtituta ad vitam recte gerendam opportuna, innumera ad mea quæcumque ſtudia perficienda documenta, ac demum nova plurima ad rem literariam pertinentia ſumma cum jucunditate perdiſcam. Fuerunt illa certe ejuſmodi, de quibus nuper me monitum voluerunt, nimirum cum quædam ædificia prope eorum Cœnobium ſolo æquarentur, ut ingentia illius Bibliothecę celeberrimæ ſpatia magis amplificarent, Marmor Iſidi ſacrum triginta ab hinc diebus effoſſum eſſe, quod ſingula quatuor latera elegantiſſime figuris diſtincta præferret. Ubi illud ego ſum e propinquo contemplatus, dixi breviter quæ ſentirem. Cum vero tum ſitus, unde erutum fuit, tum ſigna, quibus nobilitatur, antiquitati quamdam veluti lucem afferre viderentur, meam de illo ſententiam ut uberiore ſermone explicarem, viri me illi amiciſſimi perpulerunt. Ceſſi equidem, ſed ferme in-
vi-

vitus, cum ea non me præditum eruditione animadverterem, ut in Urbe præsertim hominibus literatissimis copiosa ac florenti, qui tribus ab hinc mensibus huc advenerim, illam viderer aliis importune venditare. Præterea quibus de rebus acturus essem, iisdem volumina exuberare cum intelligerem, verebar ne darem sermonem illis, qui cum sint fastidii hoc in genere delicatissimi, nisi novis cognitionibus, atque eis subtili discussis examine non delectantur. Verum illi, qua sunt in me egregia voluntate, hilari jusserunt esse animo atque præsenti, quoniam id notissimum est, similibus studiis homines deditos vestigia sequi debere a veteribus impressa semper: non licere in hac ratione quæ aliarum cultoribus artium, quibus, ut rudia illa sua inventa diligentius expoliant, recentia permittitur aliunde ornamenta quæritare: nobis autem antiquitatem recolentibus immotam oculorum aciem in exempla intendendam esse præterita, vetera cum veteribus comparando. Addebant insuper & in argumento inesse novitatem, cum Marmor nunc primum repertum sit, atque unum, quod certe non tam est in hoc studii genere commune, tot signa contineat.

Hortabantur demum me ad opus, ne cum ſuaviſſime Romæ conquieſcerem, libris omni ex parte ſuppeditantibus, loco ac tempore per ſummam imprudentiam abuterer. Eò igitur cum me concluſum vidiſſem, ut non eſſet integrum id oneris ſine eorum caſtigatione detrectare, parendum amicorum voluntati decrevi, & quo ſuſcepti ratio negotii verteret, recte ne an ſecus, qualicunque hac lucubratione tentandum. Qua quidem in re peto veniam a doctiſſimis viris, quibus eſt hodie Roma frequens, ſi poſt tot ſcriptores, ac potiſſimum poſt Laurentium Pignorium, ac Gisbertum Cuperum de cæremoniis Iſiacis eſt a me diſſerendum. Quam profecto impetraturum me non diffido, ſi attendent, quæ de his ſacris ſunt ſparſim ab auctoribus diſputata, ea conjunxiſſe me, atque in Lapidis noſtri explicationem non tenui labore congeſſiſſe. Cum enim hæc exararem, illud unice mecum agitabam animo, quod Cicero ſecum, cum ad Tullium fratrem de Conſulatus petitione ſcripſit, nimirum *non ut aliquid ex iis novi adjicerem, ſed ut ea, quæ in re diſperſa atque infinita viderentur eſſe, ratione & diſtributione ſub uno aſpectu ponerentur*. Sed quoniam quæ

Menſa Iſiaca. De Harpocr.

in

in Marmore ſunt effiсta, ea ad Iſidis cultum ſpectant univerſa, juvat, ut iis, qui ſunt mediocriter in ejuſmodi ſtudiis verſati, conſulamus, pauciſſima quædam ab illis, qui ejus fabuloſam Hiſtoriam ſcripſerunt, decerpta breviter perſtringere. Nam ut quod Pignorius eadem quondam ſuper re pronunciavit, in uſum meum convertam; *Odi ſi quis alius nimias illas, & a propoſito plerumque alienas hujuſmodi rerum interpretationes, quas in confirmationem Platonici Præceptoris dogmatum parum memores invenerunt: ſatiuſque duxi ignorantiam fateri, quam erudito lectori faſtidio eſſe*. At ne diutius ab inſtituto aberremus, Iſidem propius adeamus, cujus in Saxo quid contineatur, verbis quam pauciſſimis accipe. Mensa Iſiac. init.

Primum latus, quod præfert verba SIDI SACR, hoc eſt ISIDI SACRUM Urnula diſtinguitur, cujus in media parte Luna, & Spicæ intra Lunam inſpiciuntur, & ex Urnulæ operculo ſerpens in orbes belliſſime eductus; atque in ſummo ſpatio ſiniſtrorſum caput Oſiridis, & Avis Vaſculum admodum exiguum aſpiciens. Anubim latus alterum exhibet canino capite talaribus ad pedes adhibitis, qui Palmam, ac Situlam læva manu gerit.

Tertium ponit ob oculos Discum, Dolabram, & Guttum, seu aliquod Vas, cujus in sacrificiis esset usus; & superius orbes quosdam, qui Lunæ instar circumducuntur. Vides postremo Harpocratem digitis ori magna cum venustate admotis; lævo brachio cornucopiam sustinente, in qua Persicæ Arboris folium apparet. Hactenus Marmor verbis descripsi. Illud vero re ipsa in Tabula intuere.

CAP.

IDI SACR



MARMOR ISIACUM

ROMAE EFFOSSUM IN FUNDAMENTIS BIBLIOTHECAE CASANATENSIS ANNO MDCCXIX

Back of
Foldout
Not Imaged

CAPUT II.

Isidis, atque Osiridis fabula paucis perstricta. Templa passim his Numinibus extructa. Quo tempore sacra Isiaca Romam immigraverint. De Fato horum sacrorum. Ab. Cl. Benedictus Bacchinus citatus. Paulina in templo Isidis compressa. Supplicium a Tiberio sumptum de Sacerdotibus Isidis. Templum eversum. In pompa Isiaca Anubis statua gestabatur. Exemplum Commodi.

Plutarchus de Isid. & Osir.

JAm illud satis constat Isidem atque Osiridem apud Ægyptios fuisse in summo religionis loco Numina collocata. Illam vaccæ figura, hunc bovis cultum. Ex Rhea genitos vel in alvo matris conclusos miscuisse corpora. Ab Osiride Ægyptios ex agresti feraque vita ad humanitatem mansuetudinemque traductos. Eos invenisse fruges, dedisse leges, Deorumque cultum primos instituisse. Ipsum postea cuncta percurrisse terrarum, eademque in universos homines beneficia contulisse carminibus musicaque pellectos. Eumdem illum ac Liberum patrem creditum: eamdem illam ac Cererem: totque in humanum genus præclare factis insi-

gnes divinos honores meruisse. A Typhone occisum, quæsitum ab Iside prope Syenem laceratum fuisse repertum. Humandum in Insula Abato curavisse Isidem, atque eò nisi Sacerdotes, & illos quidem mitratos accedere noluisse. Ægyptiis quadam die in conspectum bovem dedisse se, quem putantes Osiridem Dei loco sunt venerati. Illum Apim nominavisse, quod ita eorum lingua bos appellaretur. Apim postea Serapidem nuncupatum, qui responsa longe alia ratione ac cetera oracula fertur sciscitantibus edidisse. Si oblatum manu pabulum arripuisset, portendisse secunda consulentibus, adversa vero omnia si repudiasset, ut Germanico Cæsari evenisse compertum est, qui pabulo ab Api rejecto paullo post occubuit. Hinc opinor præterire neminem, quam credita sint hæc Numina de humano genere bene merita, & quot honestata nominibus, quoties contingeret, ut pro sua quisque egestate seu frugum, seu commodæ valetudinis, seu quorumvis aliorum precibus, ac votis invocaret. Verum impedior pudore quodam, quo minus plus æquo in labores tum veterum, tum recentiorum manus injiciam, quippe cui veniat in mentem, me

Ro-

Romæ ſcribere, in urbe videlicet perſpicaciſſima quanti quiſque æſtimari debeat, quantique illa, quæ in lucem emittuntur. Itaque parce alienis eſſe adjumentis utendum exiſtimo, parumque in fabuloſa hac Hiſtoria immorandum, cum jam Iſidis atque Oſiridis geſtis ac ſacris volumina ferme omnia redundent. Præterquamquod cum Marmoris noſtri figuras explicabimus, ad firmanda quæ a nobis pro virili conjicientur, quædam inde alia tamquam in auxilium oportebit arceſſere.

Tot igitur tantiſque hæc Numina in homines clara meritis adeo terras ſua veneratione impleverunt, ut Diodoro Siculo teſte, eorum cauſſa plurima fuerint templa plurimis in locis extructa. De Ægypto prima hujus ſuperſtitionis ſede nihil dicam, cum hac de re verba fecerint ante me multi: nihil dicam de aliis regionibus, ne videar nimis diu à ſuſcepto negotio aberrare, dum etiam intra modum de tempore quo id ſacrorum genus Romam immigraverit, video mihi eſſe diſputandum.

Biblioth. lib. 1.

Quo primum tempore hæ cæremoniæ Romanorum animos occupaverint, nihil videtur certi a nobis poſſe conſtitui. Non prius multi illas exiſtimant obtinuiſſe

Ro-

Romæ quam esset Ægyptus debellata. Sunt qui velint hanc religionem post L. Calpurnii Pisonis, & M. Gabinii Consulatum, hoc est post annum V.C. DCXCVI. si Varronianam sequimur numerandi rationem, ibi tantum vigere incœpisse. Atque hæc qui defendunt, Arnobii verbis defendunt. Ille enim ait: *vos Ægyptiaca Numina, quibus Serapis atque Isis est nomen non post Pisonem, & Gabinium Consulem in numerum vestrorum retulistis Deorum?* Si Arnobius tantummodo post horum Consulatum cultos Romæ primum Isidem atque Osiridem sentit, a veritate deflectit, dum jam inde a L. Æmilii Paulli consulatu, ab anno scilicet, ut notat pariter Petrus Josephus Cantelius, V.C. DXXXIV. ante Christum CCXVIII. manifestum est a Romanis illis Numinibus templa fuisse excitata. Ita habet Valerius Maximus. *L. Æmilius Paullus Consul cum Senatus Isidis & Serapidis fana diruenda censuisset, eaque nemo opificum attingere auderet, posita prætexta securim arripuit, templique ejus foribus inflixit.* Animadverte quæso quam alte Romani Populi mentibus vesana hæc insederit superstitio, cum artifices illi ab evertendis Isiacis templis religione quadam deterrerentur.

Lib. 2. adver. Gentes.

Comment. in. Valer. Max. lib. 1 cap. 3.

At

At enim ſolum poſt Piſonem, & Gabinium Romani Iſidem & Serapidem, barbara Numina, in numerum ſuorum Deorum adſciverunt. Verum ne hoc quidem opportune cadit, cum jam Deos iſtos tamquam externos, ominoſos, quippe in quorum templis de impuris amoribus ageretur, toties ex urbe expulſos accepimus, fanaque eorum æquata ſolo, ut niſi poſt Tiberium non potuerint in certa quietaque ſede conſiſtere. Viderunt hunc Arnobii locum ante me omnes, qui hoc de argumento ſcripſerunt: cur vero idem paullo attentius a me perpendi nequeat, planè non video. Ovid. Amor. lib 2. eleg. 2. & 1. de Art. Iuv. Sat. 6. 9.

Abbas Clariſſimus Benedictus Bacchinus, ampliſſimi Caſinenſis Ordinis illuſtre decus, in eruditiſſima de Siſtris diſſertatione Iſidis cultum tum Romæ inchoaviſſe putat, cum Populus Romanus Ægyptios Reges in amicitiam recipere cœpit, eo videlicet tempore quo Ptolemæus Philopator moriens filium ſuum Senatus, populique Romani tutelæ ſubjecit. Et ſane ex his Ennii carminibus Iſidis ſacra Romanis vetuſtiſſima colliguntur. Bacchin. de Siſtris

Non habeo denique nauci Marſum Augurem,
Non Iſiacos conjectores.

Sed

De Vet. Iure Pontif. lib. 1. cap. 25.

Sed si hac de re etiam Jacobum Gutherium consulemus, multa jucunda scitu suppeditabunt. Opinor igitur omnino difficile intra certum quoddam tempus hanc originem circumscribere, cum toties sint hæc sacra ex urbe eliminata, ut Cicero non sine iracundia fortasse pronunciaverit; *Quid autem dicis? Si Dii sunt illi quos colimus, & accipimus, cur non eodem in genere Serapim Isimque numeremus? Quod si facimus, cur barbarorum Deos repudiemus?* At pergamus porro, & Isidis ac Serapidis paullo attentius fata animadvertamus.

Lib. 3. de Nat. Deor.

Tertullianus iisdem Consulibus, de quibus meminit Arnobius, hos Deos Capitolio motos affirmat. Deinde cum irrepsissent in Urbem, & in aliquorum animos dumtaxat fuisset hujus reverentia superstitionis injecta, traditum est a Dione, jam Isidis fana, *quæ privatim nonnulli extruxerant*, Senatum demoliri jussisse. Nondum enim tum erat, ut opinor, universo ea Religio excepta consensu, dum Senatus, qui Reipublicæ nomen sustineret, *eos Deos non magnopere inter Numina numerabat*. Hæc autem Cn. Domitio Calvino, & M. Messala Consulibus, hoc est anno ab V.C. primo & septingentesimo gesta

In Apologet.

Lib. 40.

gesta sunt. Talibus tamen cæremoniis Romam intrusis Q. Fusio Caleno, & P. Vatinio gerentibus Consulatum, anno videlicet septimo ac septingentesimo, propter prodigia quædam fuerunt Isiaca delubra de medio Aruspicum jussu sublata. Triumviros postea certo scimus Isidi Serapidique templa decrevisse. Neque vero in urbe locum tam cito hos ritus habuisse credas, cum Augustus sacra hæc Ægyptia intra pomœrium fieri non sit passus; quamquam fana, quæ nonnulli privatorum erexissent, reliquit intacta. Huc accedit etiam Agrippæ edictum, quo cautum est, cum sedem appeterent Isiacæ in urbe cæremoniæ, ne quis illis intra quingentos passus in suburbanis operaretur. Adeo quæ Dio, Historicus diligentissimus scripserat, cum veritate consentiunt, similem nempe cultum, ubi eum cunctis centuriis probare, atque in usum revocare cœperunt, extra pomœria Romanos collocavisse. Qua quidem in re nescio an Ægyptiorum consuetudinem sint & ipsi imitati, a quibus perpetua constitutione sancitum erat, ut nunquam Saturni templa, aut Serapis intra oppida admitterent, sed quasi pervigiles atque excubitores Deos extra pomœrium

Id. lib. 42.

Id. lib. 47.

Id. lib. 53.

Id. lib. 54.

Lib. 40.

Macrob. Saturn. lib. 1. cap. 7.

rium,&in ſuburbiis ſinerent habere ſedes, perinde ac illorum Numine, & favore, validis ſepti præſidiis forent, proque Aris focisque, Deorum templis ac ſolo in quo nati eſſent, excubarent; illorumque miniſterio & opera ab hoſtili incurſu, & clandeſtinis inſidiis ſe tutos circumſpicerent. Jam vero ſatis tritum ac pervagatum illud reputo, quod Flavius Joſephus in medium protulit de Paulina incorruptæ pudicitiæ, nobilitatis matrona lectiſſimæ, & Saturnini viri ornatiſſimi uxore. Circumſeſſam illam precibus a Mundo quodam, ut quo penitus macerarettur, amori reſponderet, vi auri magna tentatam in pudicitia permanſiſſe conſtanter, ac munus delatum deſpuiſſe: prius non expugnari paſſam non fractum largitionibus animum, quam Iſidis Sacerdos pecunia oppugnatus cauſſam prætendiſſet Anubis illam ad ſe vocantis in templum, ubi per ſummam fraudem atque improbitatem ea ſacra polluta ſunt. Actum hinc eſt in Sacerdotes a Tiberio ſevere, everſo funditus templo, atque Iſidis in Tyberim injecto ſimulacro. Sed quamvis toties fuerit a viris principibus hæc dimota loco ſuperſtitio, Romam tamen irrupit invitis, ut ita dicam, flammis

Antiquit. Iudaic. lib. 18. cap. 4.

mis, quibus Tito regnante una cum ædificiis aliis horum Numinum templa conflagrarunt. Liber vero postea illis est aditus patefactus, ac fine erroris imposito, certam in urbe sedem stabiliverunt. Dominabantur animis jam illa passim. Nam Commodum, ut de ceteris ante eum Imperatoribus conticescam, memoratum est, Isiaca coluisse sacra, atque Anubis statuam gessisse, qua, nescio ne magis impie quam fatue dicam, Sacerdotum capita graviter obtundebat. Apud Cuperum signum Ministræ Isidis Harpocratem atque Anubim in pompa gestantis possumus intueri. Caracallæ tempestate habitavit Isis magnifice, quam cæremoniis augustioribus, opulentioribusque templis constat Romanos invocavisse. Verum satis hoc de genere verborum est, præsertim cum & Pignorius, & Cuperus, & doctissimus Bacchinus his de rebus multa disputaverint. Ego ad situm, unde Marmor effossum est, sermonem traduco.

Xiphil. Epit. Dion. in. Tito.

Ael. Lamprid.

De Harpoc. pag. 165.

Spartianus

Mens. Isiac. de Harp. de Sistris.

CAP.

CAPUT III.

Situs in quo Marmor Isidis repertum. Regio nona pulcherrimis ædificiis illustris. De Septis.V.Cl.Joannes Vignolius vera sentit de loco Septorum.Septis vicinum templum Isidis. Athanasius Kircherus notatur. Quid sentiat de Iseo, atque ejus situ. Ex duobus templis Iseo ac Serapeo unum inepte facit.

QUod attinet ad situm, ubi Marmor nostrum repertum fuit, equidem existimo aut fuisse eum, aut parum certe remotum, ubi vetere memoria Iseum conditum, quod in Campo Martio prope Septa antiqui auctores positum docuerunt. Jam opinor fugere neminem varia variis in Urbis Regionibus fuisse Isidi templa constituta. Sed de illis nulla omnino hic mentio. Quidquid dicemus in posterum, ad Iseum Regionis urbis nonæ referendum esse prænuntio. Atque hac in re tum de Septorum loco,tum maxime de Isei ambitu succurrunt mihi multæ a multis Romanæ urbis Topographis agitatæ quæstiones. Ego vero qui tribus ab hinc mensibus Romam venerim, quique tot tantaque vix obiter fuerim mi-

miracula contemplatus, quid certius ac verius Blondo, Marliano, Boiſſardo, Fulvio, Panvinio, Donato, Nardino, & Kirchero huc afferre poſſim, plane non video. Quid igitur? Quanto eſt iniquius & improbius injicere ungues in aliena, tanto miſerius arbitror atque arrogantius his de rebus hominem me in urbe novum ac rudem pronunciare ſententiam. Dicam tamen quæ ſentiam, & dicam meticuloſe, & magna ſemper cum eorum qui ante me ſcripſerunt, commendatione. In quo ſi nihil aliud effecero, quam opinionem illorum firmare, qui de Templo Iſidis propiora veritati protulerint, ſatis certe officio meo feciſſe videbor.

Regio nona, cui a Circo Flaminio dicitur parti nomen, quemadmodum ait Nardinus, *ampla fuit, & ſplendidis ædificiis illuſtris*. Inter alia, Villam Publicam, Septa, Iſeum, Serapeum, Bellonæ templum, Minervium, Pantheum in hac Rufus ac Victor collocaverunt. Fuit iſta extra Urbem Regio tota poſita, & ſub Capitolii radicibus, qua vergit ad Septentrionem, muro diſcreta. Itaque poſt Aurelianum, ſi Romæ iconographiam intuemur, Capitolium, quod ante hunc Imperatorem mœnia ferme terminaret, Campo Martio,

Rom. Vet. lib. 6. cap. 6.

De Region. Vrb.

B ce-

ceterisque ædificiis Urbi additis, in media situm Roma relinquebatur. Ad Septa porro quod attinet, ut nihil jam de eorum officio dicamus, multi multis in locis posita tradiderunt. Nardinus Citatorio Monti vicina facit. Blondus, ac Fulvius, aliique, ubi nunc Area panditur Antonini Columna nobilitata, id spatium assignant. Marliano ultra viam Flaminiam prope fontem Trivium fuisse illa videntur. Donatus a Trivii fonte ad collem Hortulorum proferre non dubitavit. Bellorius a Platea D. Marci usque ad Antonini forum produxit. Ut vero cum veteri quoque scriptore conemur aliquid vero proximum, quid & ipse Varro censeat, audire ne pigeat: Ille igitur hæc habet: *Comitiis Ædilicÿs cum sole caldo ego, & Q. Axius Senator tribulis suffragium tulissemus, & candidato cui studebamus, vellemus esse præsto, quum domum rediret, Axius mihi, dum diribentur, inquit, suffragia, vis potius Villæ publicæ utamur umbra?* Ecce tibi Villa publica vicina Septis Varronis Romanorum doctissimi testimonio. Villam publicam idem Varro *in Campo Martio extremo* collocat. *Extremus* iste *Campus Martius* non videtur ea parte dimetiendus, quæ ad Hor-

Rom. Instaur.

Topograph. Rom.

Rom. Vet. lib. 1. cap. 21.

Frag. Vestig. Rom. tab. X.

Lib. 3. cap. 2. de R. R.

Hortulorum collem pervenit, ſed ad Capitolii radices, cum lamentationes militum Marianorum, quos Sylla in Villa publica congregatos cædi juſſerat, in Æde Bellonæ exaudirentur. Ædem autem Bellonæ notum eſt ad Capitolii radices extitiſſe, nimirum juxta Monaſterium, quod nunc *Speculorum turris* vocatur, *adeo ut illinc non longe, poſt Circum nempe Flaminium, qui ad* OFFICINAS *quas* OBSCURAS *dicunt, terminabatur, Villa publica ſtatuenda ſit; inde ad dexteram ei proxima Septa, a S. Marci ſcilicet Area ad S. Ignatii templum uſque fere producta, ſint animo effingenda*. Hæc eſt Viri eruditiſſimi Joannis Vignolii ſententia, qui hac ſuper re elegantiſſime veriſſimeque diſſeruit. De Colum. Anton. cap. 2.

Quod cum ita ſit, quin nunc Septis vicinam Iſidis Ædem animadvertamus profecto non dubito, ut merito Juvenalis & Martialis templum hoc Septis proximum appellaverint, ibique poſuerint ubi Lapis repertus eſt, quo ſane nunc de Iſei ſitu videntur tolli poſſe quæſtiones. Nimis evidenter apparet Iſeum, Serapeum, ac Minervium Victoris teſtimonio fuiſſe vicina. Quod quidem fit apertius a Donato omnibus, ac teſtatius, cum Oſiridis ſtatuam, atque Ægyptiaca mul-

Sat. 6. v. 126.

Lib. 2. Epig. 14.

Lib. 1. cap. 22.

ea alia ſigna, Patribus item Dominicanis ædificantibus, ibi dicat fuiſſe comperta.

Atque hinc evenit, ut in Athanaſii Kircherii ſententiam diſcedere nequeam, neque ſanus quiſquam diſcedat, dum multa de Iſei ſpatio, ut ſibi uni ſatisfaciat, parum vera confingit. Ille igitur ubi de Marliani ac Boiſſardi opinione in *Via lata* Iſidis templum collocantium diſputavit, hæc efferre non dubitat: *Erat Iſeum, ſeu Serapeum non ipſum Deaſtrorum templum, ſed diſtrictus longe lateque exporrectus circa templum, in quo & Septum, quo Apis bos ingenti ſuperſtitione colebatur*; ut cetera omittam. Itaque hunc ingentem ambitum, quem *Iſeum* vocat ille, quaſi vero illud verbum Iſidis templum non ſignificet, ſed *Iſiacum* dici debeat, hunc inquam ingentem ambitum commentus templum Iſidis in ſummam magnitudinem longitudinemque produxit, omnibus aſſentiens qui de Iſei ſitu ſcripſerunt, cum jam, ut ille jactat, tam Platea, quæ *Sciarra* dicitur, quam D. Marcelli Ædes, aut S. Mariæ in *Via lata* eadem in planitie collocaretur. Notum eſt autem omnes ferme Romæ topographos Iſeum noſtrum prope alterutrum templum poſuiſſe. Atque hinc in ſua Iſei Iconographia

De Obeliſc. Ægypt. inter Iſei rud. effoſſ. cap. 2.

Se-

Serapeo nullum locum reliquit, imo vero plane exclusit. Sed hoc de genere Kircherum loquentem audiamus: *Vides igitur a Platea Sciarra usque ad Ædem S. Marcelli, & ab hinc usque ad S. Mariam in Via lata, & inde ad Templum Minervæ, & hinc usque ad templum Antonini Imperatoris, cujus columnæ adhuc Seminario Romano vicinæ spectantur, & hinc usque ad derelictam plateam Sciarram reditum fieri. Atque hoc nos dicimus Serapeum, seu Iseum, districtum intra quem Isidis templum, ut distinguamus contra auctores omnes Iseum ab Isidis templo.* Omnia belle, quibus tamen ipse unus plaudat. Ceteri autem auctores, contra quos sentit, hæc & ejusmodi alia ad Palæphati tribunal ableganda esse arbitrantur. *Iseum* enim *seu Serapeum*, pro spatio, quo Isidis Ædes cingeretur, ut quis vel mediocriter eruditus accipiat, nunquam certe obtinebit, cum de hac tanta planicie nondum simus a veteribus docti scriptoribus. Docti quidem contra eum sumus *Iseum* ac *Serapeum* duo fuisse templa ferme in eodem loco distincta. Victor in Regione Nona, atque illi qui sunt Victorem secuti post Iseum, Serapeum collocaverunt. Et Xiphilinus, cum Lib.66. ædificia quæ sub Tito incendio sunt ab-

ſumpta recenſet, *Serapidis ac Iſidis fana* recenſet. Cur non *fanum* potius ſi unum & idem fuiſſet? Præterea de Alexandro Lamprid. Severo ſcriptum eſt: *Iſium, & Serapium decenter ornavit, additis ſignis & deliciis & omnibus myſticis*. Quidni igitur hic Scriptor *Iſium & Serapium* conjunxerit? Videant eruditi. Ego ad Marmor explicandum accedo.

CAP.

CAPUT IV.

Quid sit Marmor. An Ara votiva? Ara Apollinis, Jovis Conservatoris. An basis? Est Marmor Votivum. Isis omnia feminina Numina continet. Dii apud veteres masculo-feminæ. Isis atque Osiris inter Signa Panthea relati.

MUlti multa de nostro hoc Isiaco Marmore sentiunt. Sunt qui Aram Isidi sacram voti caussa esse credant, dum jam, ut opinor, cum aliquo ex periculo veteres evasissent, aut cum res quam postularent, vertisset ad voluntatem, aut denique ut sibi propitios Deos redderent, illis similes Aras consecrare consueverunt. Ejusmodi fortasse censeo fuisse Aram Apollini ab Atheniensibus constitutam, cum peste laborarent: ejusmodi pariter, quam Jovi Conservatori dicavit Demosthenes, cum est ab exilio revocatus: eamque quam Jovi item Conservatori Domitianus a Vitellianorum furore servatus in periculi quod effugerat monumentum erexit in Capitolio, talem arbitror extitisse. Jam cum Aram votivam dicimus, non intelligimus Aram ad-

Bessar. in Apol Plat.

Tomas. de Donar. cap. 3. Plutarch. in Demosth.

Tacit. Histor. lib. 3. cap. 14. Rycquius de Capit. cap. 36.

hibitam in uſum ſacrorum, ſed certa quadam extructam ratione, ut tantum erga Deos pro accepto beneficio, aut evitatis infortuniis gratus Ethnicorum animus per eam memoriam oſtenderetur. Jam dubitandi locus nullus relinquitur, quin in talibus Aris verba etiam imprimerentur, ut a quo poſitæ eſſent, aut Numina, quibus eſſent poſitæ, & qua de cauſſa, omnibus poſſet eſſe perſpicuum. Tacitus de Ara Domitiani hæc literis conſignavit: *Potiente rerum patre, disjecto æditui contubernio, modicum ſacellum Jovi Conſervatori, Aramque poſuit, caſuſque ſuos in Marmore expreſſit*. Qamquam ſatis patet cuique hunc morem ex illius Hiſtorici dictis non omnino comprobari, qui ait non *in Ara*, ſed *in Marmore* Domitianum ſuos caſus expreſſiſſe. Ex his potius tribus Inſcriptionibus, quas refert Baudelotius manifeſte percipimus, tum veteres Diis voti cauſſa Aras erexiſſe, tum in illis verba inſculpſiſſe.

De Vtil. Peregrin. nLaribus.

SIL-

SILVANO
SANCTO SACRO
LARUM CAESARIS NOSTRI ET COLLEGI
MAGNI CN. TURPILIUS
TROPHIMUS VOTO SUSCEPTO
ARAM DE SUO
D. D.

JOVI REGI
GENIO DOMUS
ISIDORI
LARINATIS
ARAM
EX VOTO
L. . . . . CASTOR
D. D.

I. O. M. D.
PRO SALUTE. AUGUS. N. N.
SEPTIMI SEVERI. PII.
PERTINACIS.
ET M. AURELII. ANTONINI.
PII. FELICIS. AUGUSTI. ET
JULIÆ. AUGUS. ET S. P. Q. R.
SENNIUS. AUGUS. N. N.
OPTIO. TABELLIORUM
STATIONIS MARMORUM
ARAM POSUIT.

V. infra pag. 109.

An

An vero licuerit in Aris voti caussa decretis hostias immolare, hoc non ita facile affirmarem; nisi forte, cum votivæ Aræ in privatarum numero collocandæ sint, in illis quoque victimæ immolarentur, ac sacrificia cruenta fierent Pontificum, Sacerdotumque permissu, ut Gutherius & Guiranus demonstrant hoc in Aris privatis fuisse usurpatum. Verum satis de illis qui Marmor nostrum votivam Aram credunt. Qui vellet de Aris Veterum perfecte cumulateque doceri, adeat Petrum Berthaldum, qui omnia quæ in hoc genus conveniunt, diligentissime collegit.

De Iure Pontif lib. 3. cap. 16. De Numism. Nemausen.

Sunt qui velint Marmor nostrum Basim fuisse, quæ Isidis simulacrum sustineret. Statuas enim cum basi positas Numinibus docent tum multa inscripta saxa, tum hoc quod refert Baudelotius in libro, de quo superius meminimus.

In Diis Laribus.

SIGNUM
SYLVANI ET HERCULIS
CUM BASI IMPENSA SUA
POSUIT DEDICAVITQUE
VII. K. IVL. SURA. III. COS.

Sed si Marmor nostrum quomodo superne

ne desinat, attendemus, difficiliter credo in hanc opinionem nos descensuros. Nam in superiore parte ornamenta cernuntur, quibus tum veteres, tum recentes bases carere solent, in quibus statuæ collocantur. Simulacra præterea in plano loco & undique æquabili statuuntur. Noster vero Lapis ferme in pyramidem assurgit, nec vestigium ullum aut vetustate exesi, aut deturbati illinc simulacri vel lynceis oculis intuentibus præfert, ut vera dicere videamur, si nihil in Isiaco Marmore, quod ad justum pertineat monumentum, desiderari dicamus. Quare potius in eam sententiam devenirem, ut Marmor hoc Isiacum, si ex Aris voti caussa erectis excludimus, nec basim merito putemus, votivum lapidem Isidi consecratum censeamus. Quod tamen ita pronuncio, ut suam cuique conjiciendi libertatem relinquam, cum jam quæ ad Marmoris explicationem a me congeruntur, illa omnia possint omnium conjecturis opportune inservire.

Quemadmodum igitur Lapis noster, sive Ara sit, sive basis, voti caussa Isidi statutus videtur, ita non sine difficultate percipiemus, qua de caussa hoc Isidi monumentum devotum fuerit, cum Isidis no-

nomine omnia feminina Numina, ut Osiridis masculina continerentur.

Atque hic animadvertendum opinor una cum Ethnicorum superstitiosæ Theologiæ peritis nisi unum Deum, unamque Deam non fuisse, quæ variis pro varietate officiorum nominibus appellaretur. Hinc Sol, Liber, Apollo, Osiris ac Serapis vocatur: hinc Luna, Ceres, Diana, Juno, Proserpina, Isidis nomine celebrantur. Bacchinus quoque, quem iterum honoris caussa nomino, hanc in sententiam videtur procedere, cum ait: *Non Isis, sed quæ per Isidem significantur, apud Ægyptios colebantur*. Isis enim, ut ab auctoribus circumfertur, in rebus universis dominabatur. In Sai Minervæ templo talis, teste Plutarcho, habebatur inscriptio. Minervam autem Isidem quoque constat fuisse creditam: *Ego sum omne quod fuit, est, & erit: meum peplum mortalis revelavit nemo*. Meus Cœlius Rhodiginus ex his verbis sensum allegoricum exprimit, quem potest diligens lector consulere. Apulejus pariter Isidem ita loquentem inducit: *En adsum tuis commota, Luci, precibus rerum natura parens, elementorum omnium domina*. Addo Macrobium: *Isis juncta religione*, cum Serapide scilicet,

De Sist.

De Isid. & Osirid.

Lect. Antiq. lib. 5. cap. 12.

Lib. XI. Metam.

Lib. 1. Sat. cap. 20.

ce-

celebratur, quæ est vel terra, vel natura rerum subjacens soli. Hinc est quod continuatis uberibus corpus Deæ omne densetur, quia vel terræ vel rerum naturæ altu nutritur universitas. Lycophronis Scholiastes de Iside ista pronunciat: *Quin & Proserpina & Isis terra appellatur, nec non Rhea & Vesta, Pandora, multisque aliis nominibus quorum inire non est numerum.* Itaque Isis *Myrionima* dicta, quia plurima nomina contineret. Apud Gruterum jam hæc legitur notissima Inscriptio. *Te. Tibi. una. quæ. es. omnia. Dea. Isis. &c.* Michael Angelus Causeus affert Dianæ signa creberrimis uberibus turgentia. Jam Diana eadem quæ Isis existimabatur. Claudius quoque Menetrejus Isidis aut Dianæ simulacra ad institutum nostrum opportuna in medium producit. Et apud Patinum, & Vaillantium multa multis in locis Numismata occurrunt, ubi similes imagines conspiciuntur.

Pagina LXXXII. 2

De Simulac. Tab. XI.

In Symbol. Stat. Dian.

Numism. Imp. Numism. Græca.

Apparet ergo luculenter sapientiores ex veteribus unicum esse Deum credidisse, qui variis Deorum, Dearumque nominibus appellaretur: unumque fuisse Numen, quod multis in Regionibus multis Numinum appellationibus invocaretur. Id autem factum est, aut quia Ethnicis

Baudelotius de Vtil. Peregrin. in Larib. p. 145.

cis suorum Deorum numerus non constaret, aut quia ab illis eorum natura ac potestas ignoraretur. Id certe Sapientum plerique ab Ægyptiis perceperant, qui, ut ait Jamblicus, naturam Deorum infinitis rationibus nuncuparent. Hinc Athenagoras illos, qui sacris in Templo Ammonis operabantur, jubet dicere, nullum aliud esse nisi solum Numen, cujus sapientes cum potentiam populis indicare vellent, varias imagines commenti sunt, quæ omnes nisi solum Numen non exprimerent. Sed de caussis quamobrem Numina multis item modis vocata fuerint, quædam etiam in Capite Quinto a nobis dicentur.

Neque solum unum Deum tenuerunt Antiquorum sapientissimi quidam, verum prisci omnes Deos ἀρσενοθήλεις esse, idest *masculo-feminas*, & utroque sexu præditos putaverunt. Occurrit hac super re doctissimi Episcopi Philippi a Turre testimonium, quem nimis cito defunctum fato nondum satis deflevit Urbs Rhodigina, quæ tum Sede a tanto ibi delecta viro, tum ejus jucundissimo aspectu non recreabatur modo, sed etiam magnopere honestabatur. Ille enim Tauri figuram, quem in Tabulis Mithriacis observamus,

De Mithra cap. 3.

Ve-

Venerem contineri declarat, quam eamdem ac Lunam Philocorus apud Macrobium testatur, utramque non feminam tantum, sed marem quoque veteribus reputantibus. Quare Calvus *pollentem Deum Venerem* dixit, & Virgilius. Lib.8. Saturn.cap.8 Æneid. lib.2.

Descendo, ac ducente Deo flammam inter & hostes
Expedior.

Quo in loco Venus est intelligenda, quæ se Æneæ dederat in conspectum, utque domum rediret, eum ipsa monuerat. Præterea eruditos non fallit apud Cyprum ejus barbatum cultum fuisse simulacrum. Huc spectat pariter imago in Syria Deæ, quam Dercetam appellarunt, quam sic effictam accepimus, ut hominis haberet quidem caput, pars vero reliqua corporis in piscem desineret. Macrob. lib.3.Sat. cap.8. Diod. Sicul.lib.2.

Quod ad Lunam attinet, eam Lunum, & Marem Deum mystice dictum Spartianus est auctor: ubi quæ a celeberrimo Salmasio adnotantur, consulenda sunt, & quæ a Sponio profertur, Tabula Palmyrena. Jam Nummus Antiochensium Luni effigiem apud Patinum suppeditabit, ut omittamus ferme innumeros, qui a Vaillantio passim recensentur. Imo ut fabulis inveniendis nullus unquam fuit adhibitus In Caracalla. Antiquit. Erudit. cap.1. In Antonino. Numism. Græca.

tus modus, variiſque rationibus variæ gentes ſunt res naturales interpretatæ, Deoſque plurimis nominibus ac ſignis veneratæ ſunt, ita ſub bovis, vel tauri figura repræſentabatur Iſis, quæ eadem eſt ac Luna, & Terra, Plutarcho, Macrobio, atque omnibus mythologis aperte teſtantibus. Præterea Macrobius Ægyptios addit terram bovis ſimulacro ſignificaviſſe.

Ibid.

Quod igitur cum ita ſit, jure optimo Iſidem atque Oſiridem inter Panthea Signa a Petro Seguino, & Jacobo Sponio legimus fuiſſe repoſita. Signa vero Panthea illa erant, quæ omnes Deos, ut Græcum etymon indicat, aut ſaltem plurimos referebant. Itaque ille in ſuis ſelectis Numiſmatis Nummum in Ægypto cuſum producit, qui anteriore parte Antonini Pii caput præfert, caput vero barbatum in poſteriore pluribus Numinum ornatum inſignibus, in quibus Serapidis figura præſertim apparet ex Calatho qui eſt capiti impoſitus: cornu Arietinum Jovem Ammonem deſignat, ac ſerpens ad Æſculapium pertinet: Solem ſeu Oſiridem corona radiata ſignificat. Quis enim ignorat Serapidem apud Ægyptios Jovem, Ditem, Solem, Æſculapium, Nilumque

Select. Numiſm. erudit. Antiq. Sect. Prim. Artic. V. Tab. 39.

Tacit. Hiſtor. lib. 4.

fuiſſe. Cauſeus quoque exhibet ſignum, quo omnia ferme Numina continentur. Ex capitis ornamento indicatur Iſis: ex Semicirculo Luna: ex radiis Sol: Cupido ex pharetra: ex alis victoria, & Nemeſis: ex Cornucopia, unde Iſidis, atque Oſiridis eminentia cernuntur capita, abundantia ex benigno Solis ac Lunæ tactu profecta: ſerpens brachio involutus Æſculapius & Υγίεια, hoc eſt ſalus ſignificatur. Baudelotius etiam de Pantheis ſignis longum ſermonem inſtituit, & Harpocratem pariter inter ea collocat, ut certe apparet ex variis ſymbolis, quibus illæ imagines ſunt ornatæ. Ex eodem ſcriptore obſervamus, hujuſmodi ſigna non tantum per ſimulacra, quibus hominis figura exhiberetur, ſed etiam per ſerpentes exprimi. Profert enim Nummum Hadriani, in cujus poſtica parte Serpens conſpicitur ſpicis, caduceo inſtructus, ut Cererem, Æſculapium, & Mercurium ſignificaret. Sed vide ſimulacrum, quod cum Gemma Panthea Sponius producit.

Tab. 24. de Simulac.

De Vtilit. Peregrin. Laribus.

CAPUT V.

Quæruntur causæ quare hoc Marmor Isidi positum. Isis præerat navigationi. Item Dea salutis. Numina quare variis nominibus invocata.

EX illis igitur quæ sunt a nobis dicta superius, quoniam tot ab Iside imagines referebantur, patet intelligendi difficultas, qua de caussa hoc illi Marmor fuerit erectum. Spicæ, quæ cernuntur Luna comprehensæ, ut in primo Saxi latere intuemur, nunquid significent votum pro segetum ubertate susceptum? Isis enim erat eadem ac Ceres, ut postea omnibus patefaciam. Nunquid Lapidem a quodam constitutum credamus, cum Naufragii periculum vitavisset? Fertur enim cum filium Harpocratem amisisset, atque illum quæritaret, vela navium excogitavisse. Hyginus hæc habet: *Velificia primum invenit Isis; nam dum quærit Harpocratem filium suum, rate velificavit.* Et Cassiodorus inquit: *Hoc*, velum nempe, *Isis rati prima suspendit, cum per maria Harpocran filium suum audaci femina pietate perquireret.* Quid Juvenalis? Ille cer-

Fab. ult.

Lib. 5. Variar. cap. 17.

certe ſatis ſuperque id ipſum comprobat, cum magnum votorum numerum adducit, quæ Iſiacis templis ſuſpenderentur.

pars dira quidem, ſed cognita multis
Et quam votiva teſtantur fana tabella
Plurima; pictores quis neſcit ab Iſide paſci?

Ubi Camillus Sylveſter Rhodiginus obſervat, a nautis in naufragiis fuiſſe Iſidem invocatam, quippe quæ tamquam maritimæ artis inventrix agnoſceretur. Ægyptii ſane, teſte Plutarcho, vehi navi Iſidem finxerunt, aut ut Lunæ humidam naturam exprimerent, aut quia Luna cornuta cum ſit, navim referre videtur. In Voſſio hac ſuper re ſuppetunt curioſis uberrima exempla. Eò igitur Lectorem mittimus. In Not. Ital. De Iſid.& Oſirid. De Idolol. Lib.2.cap. 27.

Multa igitur de cauſſis propter quas Saxum hoc fuerit Iſidi conſecratum, dici poſſunt; at illud quavis conjectura verius exiſtimo, ſi ab aliquo, qui priſtinæ incolumitati ſit redditus, Iſidi devotum eſſe cenſebimus. Nam hac ratione cultam Iſidem accepimus, & tum varia variis in urbibus, tum Romæ præſertim templa ſplendidiſſima habuiſſe. Diodori Siculi verba a me adducuntur. *Aſſerunt Ægyptii plurimi inventricem ad morbos medicamentorum, & medicinæ arti maxime con-* Lib.1.

tulisse, eamque immortalitate quoque potitam gaudere hominum cultu, inque eorum valetudine præcipue versari. Sic & Apulejus Isidem loquentem inducit: *Jam tibi providentia mea illucescet dies salutaris*.

Lib.XI. Metam.

Tibullus pariter id locutus de Iside declarat.

Lib.1.Elegi.3.

Nunc Dea, nunc succurre mihi, nam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis.

Sunt quoque hæc carmina Juvenalis, quibus res omnino firmatur.

Sat.13. v. 93.

Decernat quodcumque volet de corpore nostro
Isis, & irato feriat mihi lumina sistro.

Propterea plurima id genus votiva marmora una cum verbis nostri Lapidis, nimirum ISIDI SACRUM apud Gruterum leguntur.

Pagina XLII 1. LXXXII.5

Antequam hæc typis committerem, legenda dedi V. Cl. Blasio Caryophilo, qui per illos dies fructu bonoque meorum studiorum incredibili in suam me amicitiam recepit. Cum ille linguarum cognitionem penitiori eruditioni, gravioribusque scientiis ita adjungat, ut alterum Samuelem Bochartum optimo jure appellare possimus, docuit mellis etymon, quo hæc a *curando* dicta videatur, dum Ara-

Arabes, quorum linguæ affinis Ægyptia, اسا, *Aſa*, *curare* dicunt; unde اسي, *aſion* *Medicus*, اسو, *aſuvon*, *medicamentum*. Sic etiam ope & auxilio linguæ Arabicæ facile vox χάμψαι occurrit explicanda, qua Ægyptii *Crocodilos* denotabant. Arabes enim *Crocodilum* تمسح *tampſah* appellant. Hæc meæ ſententiæ mirifice conveniunt, dum Iſidem valetudini præſidere demonſtravi. Sed id melius infra oſtendendum eſt.

His omnibus conſtitutis, placet Saxum, & quæ illud complectitur ſymbola, animadvertere attente, & quanta poſſumus diligentia explicare. Ac primum quidem in anteriore lapidis parte tria illa ſigna, per quæ Dea Iſis repræſentatur, obſervanda eſſe videntur, Vas ſcilicet, unde ſerpens in orbem extollitur: Luna, & Spicæ, quæ intra Lunam affabre inſculptæ pulcherrime exurgunt. Cum unum, aut alterum poſſet eſſe ſatis ad Iſidem indicandam, tria ſigna proferuntur.

Ut nihil veteres ſine ſua ſignificatione commenti ſunt, ita ne hoc quidem eos opinor temere feciſſe. Tenuit enim conſuetudo Romanorum, ut de Græcis conticeſcam, in quorum Poetis ſunt hoc de genere teſtimonia quam plurima, Nu-

men, quod precaretur, invocandi variis nominibus, iis tamen ad ejus officia pertinentibus, quo citius ac libentius assentatione illa quasi delinitum, & captum alienis precibus indulgeret. Passim hac de ratione apud Latinos autores argumenta suppetunt. Nos autem paucis erimus omnino contenti. Virgilius itaque id per verba illa *quisquis es* aperte declarat.

sequimur te sancte Deorum

Lib. 4. Æneid. v. 175. *Quisquis es, imperioque tuo paremus ovantes.*

Carm. Sæcul. Horatius Dianam ita precatur.

Sive tu Lucina probas vocari
seu genitalis.

Apud Martianum Capellam Philologia Junonem sic alloquitur: *Juno pulchra, licet aliud nomen consortium tibi cæleste tribuerit, at nos a juvando Junonem, sicut & Jovem dicimus, nominamus, seu te Lucinam, quod lucem nascentibus tribuas, ac* Lib.X.Metam. *Lucetiam convenit nuncupari.* Quid Apulejus? Dianam ita certe apprecatur. *Regina Cœli, sive tu Ceres alma, seu tu cœlestis Venus, seu Phœbi soror seu, nocturnis ululatibus horrenda Proserpina,* & quæ Hymn. Dian. lib. 4 Metam. sequuntur. Adeatur Catullus, & Ovidius. Si igitur variis signis in Marmore Isis signi-

gnificatur, id factum eſſe adulandi cauſſa exiſtimo, cum fortaſſe crederent unum duntaxat titulum ei parum gratum eventurum.

Aliquando etiam nullo invocato nomine ſua Numina veteres Deorum, vel Dearum titulo tantummodo invocabant, cum ita illis magis placere crederent, quod abſoluta hac appellatione eorum vim ac poteſtatem anguſtiis finibus non circumſcriberent, ſed latiſſime patere declararent. Id cum aliis Inſcriptionibus, tum hac potiſſimum fieri apertum exiſtimo. Grut. pag. I. num. 7.

SIVE. DEO
SIVE. DEAE
C. TER. DEXTER
EX. VOTO

CAPUT VI.

Conjecturæ de Vaſe unde eminet ſerpens in primo Marmoris latere. Iſis eadem ac Ceres. Cereri ſerpentes tributi. De Ciſta. Bacchus idem atque Oſiris. Κανηφόροι *quid.*

DE Vaſe e cujus operculo ſerpens in gyros educta attollitur, video plurima dici poſſe. Cum Plutarchus ac Diodorus non aliam Cererem ac Iſidem dixerint, & Cereris ſacra cum Iſidis ſacris conjunxerint, quia frugum inventio utrique Deæ tribuitur, fortaſſe conjicere nonnulli poterunt Vas illud ad Cereris cultum pertinere. Iſidem eamdem eſſe ac Cererem a multis ſcriptoribus declaratur. Herodotus ait: *Iſis ſecundum linguam Græcorum eſt Ceres*: & poſtea: *Ægyptia lingua Iſis eſt Ceres*. Apollodorus hæc habet: *Conſtituit autem*, Io videlicet, *Statuam Cereri, quam Ægyptii Iſidem vocaverunt*. Sed vide D. Auguſtinum, cui adjunges eruditiſſimum Voſſium, qui multa ad noſtrum inſtitutum opportuna diligenter collegit.

De Iſid. & Oſirid.
Diodor. Sic. lib. 1.
In Euterpe
Lib. 2.
De Civit. Dei. Lib 8. cap. 22.
De Theol. Gent. Lib. 2. cap. 56.

Mirabitur hic fortaſſe aliquis, quod, cum

cum de Romanorum Isiaco cultu disseramus, auctoribus Græcis nostra confirmanda permittimus. Sed, quisquis est, desinet ille admiratione affici, quoniam, præterquamquod sunt omnia ad rem accommodata, percipiet hinc Isidem, Osiridem, atque Anubim in Græcia pariter cultos fuisse; quæ omnia ferme Numina, atque horum nomina ex Ægypto profecta sunt. Herodotus enim memoriæ prodidit χεδὸν δὲ καὶ πάντα τὰ ὀνόματα τῶν Θεῶν ἐξ Αἰγύπτου ἐλήλυθε εἰς τὴν Ἑλλάδα *omnia fere Deorum nomina ex Ægypto in Græciam migrasse*. Et quidem Αἰγυπτίοις δὲ Ἀπόλλων μὲν Ὧρος, Δημήτηρ δὲ Ἶσις, Ἀρτήμης δὲ Βούβαστις: *Ægyptiis Apollo erat Horus, CERES ISIS, Diana vero Bubastis*. Hinc Coptice Βούβαστις appellatur *Diana*. Minerva ab ipsis Σαΐς nominata vel Νηΐθη Ἀθήνη παρ' Αἰγυπτίοις. Saturnum Ἀνοῦβιν dixerunt, ac Venerem nomine Ἀθὼρ designavere, ut habetur in Etymologico magno: Τὴν Ἀφροδίτην Αἰγύπτιοι καλοῦσιν Ἀθὼρ, quæ pariter Νέφθυς nuncupata. Priapum Palmyten Ægyptii nominarunt. Hesychius Παλμύτης Αἰγυπτίοις Θεὸς Πριαπώδης; apud Plutarchum vero Παμύλιος, cujus festum pro more celebrabant, τὴν τῶν Παμυλίων ἑορτὴν αὐτῷ τελεῖσθαι Φαλληφορίοις. Jovem etiam coluere, qui Ἀμοῦν,

Lib. 2.

Plutarch. in Isid. & Osir.

Ap. Plut.

vel

vel Ἄμμον nominatus. Plutarchus ἴδιον παρ' Αἰγυπτίοις ὄνομα ἐκ Διὸς εἶναι τὸν Ἀμοῦν. Quamobrem Deorum Dearumque cultus ab Ægypto in Græciam pervenit. Græci enim Cererem pro Iside, Dianam pro Bubasti, Apollinem pro Horo, Saturnum pro Anubide, Jovem pro Hammone uti Deos, Deasque venerati sunt, mutatis tantum nominibus: re ipsa tamen hisce Numinibus eadem ferme quæ Ægyptii tribuerunt. Ex quodam marmore, & ex Callimachi epigrammate constat Græcos Isidi, Osiridi, Anubidi, quæ Numina & nomina sunt Ægyptia, vota solvisse. Marmor Græcum ita se habet.

Apud Prideaux pag. 287.

Ο ΙΕΡΕΥΣ ΑΡΧΙΔΑΜΟΣ
ΦΙΛΑΙΝΕΤΟΥ ΙΣΙΔΙ
ΟΣΙΡΙΔΙ ΑΝΟΥΒΙΔΙ
ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΟΝ

Sacerdos Archidamus Philæneti filius Isidi, Osiridi, Anubidi donarium. Sic etiam apud Callimachum

Epigr. 61. edit. Vltrage pagina 231.

Ἰναχίης ἕστησεν ἐν Ἴσιδος ἡ Θάλεω παῖς
Αἰσχυλὶς Εἰρήνης μητρὸς ὑποσχεσίῃ.

In Isidis Inachiæ templo posuit Thalis filia Æschylis Irenæ matris promisso. Itaque cum ex Marmore Græco, & ex Callimachi epigrammate appareat tam Archidamum Philæneti filium, quam Æschylis filiam

filiam Thalim nomina esse Græcanica, non immerito licet deducere a Græcis Isin, Osirin, Anubin cultos fuisse, ac votis invocatos. Atque hæc pariter Blasio Caryophilo accepta refero.

Verum ut ad Isidem, quæ Ceres est, revertamur, Gruterus hanc inscriptionem recenset. Pagina LXXXII.6

ISIDI
FRUCTIFERAE
POSUIT.

Id quoque Nummus ostendit, qui prope Cretam est cusus, in Insula videlicet Ægialea, ubi in postica parte Isis spicas manu tenet. Similium Numismatum magnum numerum affert Vaillantius. Philippus a Turre Tabulam Mithriacam producit, ubi in Spicas caudam Tauri desinentem intuemur. Bovis autem, seu Tauri figura. Venerem, Lunam, Terram, quæ sunt res eædem ac Isis, significari intelleximus. Spicas ad fertilitatis symbolum in nummis, aliisque monumentis vel solas, vel cornucopiis insertas passim videmus. Quibus in locis Isis certe nihil aliud quam Cererem signat. Spicæ etiam, quæ in medio vase nostri Marmoris cernuntur, caussam id profecto conjiciendi præbebunt.

Numism. Græca. De Mith. cap. 1.

Ac-

Accedit huc etiam, quod Serpentes Cereri assignantur. Nam inquit Apulejus: *Dextra quoque sulcis insurgentium viperarum cohibita Spicis etiam Cerealibus desuper porrectis*. Ubi Julianus Floridus hæc subjicit: *Isidi, quæ & Luna est, & Proserpina & CERES, viperas circa caput addit Apulejus, sive quod sulci interdum tortuosi viperas imitentur, sive quod frenatis curruique admotis Serpentibus Ceres sulcavit Cœlum*. Minucius pariter Cererem serpente cinctam tradidit. *Ceres facibus accensis, & serpente circumdata*. Ergo si signum illud Cereri tribuendum esset, sibi persuadere posset fortasse aliquis, Vas nostrum ejus esse generis, quod frumento atque hordeo plenum in pompis Isidis, seu Cereris circumferretur, ut notat Natalis Comes insignis Mythologus, cum jam Ægyptii Isidi aut Cereri inter alia vitæ opportuna usum atque inventionem frugum referrent acceptam. Hinc messis tempore, oblatis spicarum primitiis juxta manipulos Isidem invocari solitam, tradidit Diodorus. Quare opinor hac de caussa Modium Isidi esse assignatum, ut ex nummis percipitur: Isidemque credo Tertullianum voluisse nominare, cum in eo *Cererem Fariam* legimus.

Lib. XI. Metam. — Not. in Apul. — In Octav. — In Cerere cap. 14. — Lib. 1. — In Apolog.

Exi-

Existimare alii poterunt Vas nostrum appellari debere *Cistam Mysticam*, in qua sacra quædam arcana Cereris a mulieribus gestarentur, quæ propterea Κιϛοφόροι *Cistiferæ* nempe sunt nuncupatæ. Ab Apulejo Cista hæc dicitur *secretorum capax*, *penitus celans operta magnificæ Religionis*. Hujus enim Sacra inter abditissima reputabantur, quemadmodum a Tomasino quoque memoriæ proditum fuit. Verum si Cistæ figuram ex Nummis potissimum petimus, Vas nostrum ab hoc Cistarum genere valde differre comperiemus. Profert Seguinus nummos duos, alterum sub nomine Apii Claudii Ap. Filii Pulchri cusum, alterum M. Tullio M. Filio Ciceroni tribuendum, quorum in aversa parte Cista conspicitur, extra quam Serpens exilit. Patinus pariter tum aliorum, tum præsertim Alexandri Magni Nummum producit, in quo Cista evidentissime apparet, unde Serpens eodem modo erumpit. Interdum circa Cistam duo Serpentes observantur, ut spectari in L. Veri Nummo Vaillantius docet. Interdum in Cista spicæ inerant, ut idem in Numismate Alexandri Severi animadvertit, ubi Spicas quatuor videmus in Cista. Sed ex his & ex aliis, quæ in hanc rem

Meursii Eleusinia. cap. 25.

Lib. XI. Metam.

Cecrop. Vot. cap. 6.

Select. Numism. pag. 80.

Numism. Imperat.

Numism. Græca.

rem dici possint, nunquam obtinebimus, ut Vas nostrum Cistam credere debeamus, cum inter signum illud Isiacum, & Cistam magnum discrimen intercedere facile videamus.

Ut vero rursus adeamus Patini, ac Seguini Nummos, ubi Cistæ & angues inde evadentes se se nobis ostendunt, attendi velim tria illa numismata in postica parte ad Bacchi cultum pertinere. Serpentes enim, qui ex Cistis exiliunt, mysteria Bacchi demonstrant, quod etiam apparet ex coronis hederæ baccis, & foliis contextis, quæ in Seguini Nummis manifeste cernuntur. In Bacchi enim Orgiis ejusmodi Cista ferebatur, quæ arcana ipsius mysteria continebat; unde Catullus cecinit:

De Nupt. Pel. & Thet. vers. 079.

Pars se se tortis Serpentibus incingebant,
Pars obscura cavis celebrabant Orgia Cistis,
Orgia, quæ frustra cupiunt audire profani.

Ex quibus etiam carminibus colligimus, Bacchantes in Orgiis Serpentes gestavisse. Cistis autem Orgia quoque celebrata fuisse, non est quod miremur. Nam si Isidem eamdem esse ac Cererem probatum est, ita Bacchum eumdem atque Osiridem, qui vir Isidis, & frater, auctores tradiderunt. Ausonius his verbis nobis fidem facit. (Epigr. 29.)

Ogy-

Ogygia me Bacchum vocat, Lib. 2.
Osirin Ægyptus putat. Lib. 1. De Isid. & Osirid.

Idem pluribus testantur Herodotus, Diodorus & Plutarchus, qui in sacris Bacchi & Osiridis narrant easdem cæremonias observari, utrique vitem tribui, simul & hederam, quæ lingua Ægyptia vocatur *Chenosiris*, hoc est planta Osiridis, utrumque Nisæ educatum, utrique denique comites Satyros, ac Panes adjungi. Imo Serpens ipsa, cum qua Osiris in Tabula Isiaca spectatur, fuit amica Bacchi, quem semper est prosecuta, ut Seguinus erudite ostendit. Sed vide Tibullum, qui multa in hanc rem elegantissime cecinit. Huc cadit opportune Nummus a Nicæensibus Juliæ Severi cusus, & quem idem producit, in cujus aversa parte Bacchus cum Iside sedet in curru. Apud Pignor. Ibid. p. 163 Lib. 1. Eleg. 8.

Et ut magis magisque nostra firmentur, Philippi Bonorrotæ non minus in Re Florentina quam in literaria Senatoris præstantissimi est huc adducenda sententia. Ille enim pariter Isidem atque Osiridem eosdem esse asseverat ac Cererem, & Bacchum, quibus festa ac sacra communia fuerunt, quæ aut a Cadmo, aut Melampo, aut Orpheo, aliqua tamen facta mutatione, in Græciam delata, Observ. in Numism. Maximæ formę pag. 441.

cæ-

cæremoniis Eleusiniis nomen dedere. Verum quidem est, ea ad Cererem sacra pertinuisse. Nihilominus Bacchus in eorum societatem vocatus est, ut vir ille eruditissimus fuse demonstrat.

Si minus ad hoc caput, certe ad nostrum institutum maxime pertinet Gordiani Nummus ab eodem diligentissimo auctore productus, cujus in aversa parte Diana Ephesina & Serapis in trireme cernuntur. Factum hoc esse ait ex Ægyptiorum consuetudine, qui suis Numinibus navium custodiam demandabant, tanti illas, quanti sacra quælibet æstimantes, quibus Nili aquarum caussa in pompis, atque in suis solemnibus ritibus sæpissime uti consueverant. Hinc apud Pignorium duo apparent navigia, in quorum altero Apis, & in altero duobus capitibus instructus Aries spectatur. In viridi Iaspide apud Sigismundum Radium, ut idem scriptor superius laudatus observat, Navis insculpta est cum multis Ægyptiis Numinibus, ubi festum celeberrimum, *Isidis* nempe vocatum *Navigium* comprobatur. Mitto quæ refert Plutarchus, Apim videlicet bovem cum mortuus erat, navi ductum, ut sepeliretur: mitto perjuria ma-

Mens. Isia-ca.

De Is. & Osirid.

magica a Porphyrio consignata literis, inter quæ se navis cursum retardaturos minabantur, & Osiridis corpus Typhoni dilaniandum tradituros: mitto denique quæ a Diodoro memoriæ sunt prodita, vectum scilicet novum Apim tecto Navigio Memphim, ut in templo Vulcani educaretur. Videbor profecto extra chorum parumper saltasse. Non diffiteor equidem. *Amœnitates* tamen *studiorum quærimus*, ajebat Plinius, *quas* etiam, ut addebat Philippus a Turre, *per occasionem in diverticulo captare licet, quemadmodum iter agentibus evenire solet, qui a via in splendidas ædes, aut pratum floribus consitum deflectunt*.

Lib. 1.

In Præfat. Hist. Nat.

In Epist. ad Lector. ad Monum. Ant.

Quoniam de Cista in Cereris ac Bacchi sacris meminimus, placet de Virginibus Athenis in sacris Dianæ canistra gerentibus paucissima adjungere. Athenis igitur erant Dianæ festa, quæ ΚΑΝΗΦΟΡΙΑ dicebantur. Virgines Atticæ ingenuæ, & viro maturæ prioris vitæ ac virginitatis pertæsæ cupientes exauctorari in hoc festo *canistra ex auro facta* plena earum rerum, quas acu pulchriores laborassent, ad Dianæ templum deportare, ibique sacrificare

D con-

consueverunt. Ita enim putabant hujus Deæ, in cujus adhuc tutela versabantur, se iram evitaturas. Hoc a Græcis Κανηφορεῖν dicebatur, & hæ virgines Κανηφόροι, idest *canistrorum gestatrices*. Verum ad Urnulam explicandam accedo.

Ioan. Fasoldus de Fest.Græc.

CA-

CAPUT VII.

Apulejus de Urnula quadam nostræ simili locutus est. Serpentes quare sacri. De Marmoris serpente. Ægyptii Thermutin præsertim colebant. Movere caput quid. Quare Isidi atque Osiridi sacri serpentes.

INter veteres auctores, qui de sacris potissimum Isiacis disseruerunt, is est profecto Apulejus, qui de illis perinde loquitur, ac si sæpissime interfuisset. Ille igitur, ubi multa ostendit, quæ ad Isidis cultum pertinerent, de Urnula quadam meminit, quæ ex hac nostra videtur parum omnino differre. Quod si discrimen aliquod apparet intercedere, quod certe exiguum est, tribuendum id omne sculptori censeo; siquidem compertum est, hoc hominum genus simulacra atque alia signa pro libidine sæpe incidere, atque effingere, ut desint interdum multa, multa redundent. Verum Apulejum audiamus de cæremoniis loquentem, quæ in sacris Isidis celebrarentur: *Gerebat alius felici suo gremio summi Numinis venerandam effigiem, non pecoris, non avis,* Lib. XI. Metam.

non feræ, ac ne hominis quidem ipsius consimilem, sed solerti repertu, etiam ipsa novitate reverendam, altioris utcunque & magno silentio tegendæ religionis argumentum ineffabile, sed & ad istum plane modum fulgente auro figurata. URNULA faberrime cavata fundo quam rotundo, miris extrinsecus simulacris Ægyptiorum effigiata. Ejus orificium non altiuscule levatum, in canalem porrectum longo rivulo prominebat. Ex alia vero parte multum recedens spatiosa dilatione adhærebat ansa, quam contorto nodulo supersedebat aspis, squameæ cervicis striato tumore sublimis. In vase nostro sunt ferme omnia similia. Deest ansa, in qua *contorto nodulo* Aspis insideat. Sunt tamen externe Ægyptiaca expressa signa, Spicæ videlicet, ac Luna: & vas, ansæ loco, pyramidis instar *non altiuscule*, ut ait Apulejus, sed per quam alte *levatum* operculum habet, unde aspis illa bellissime extollatur. Verum de Vase postea dicemus, quam aliqua de Serpente disputaverimus.

Multis de caussis veteres in Serpentibus divinitatem quamdam inesse putarunt. Cum illi non exteriorum membrorum ope, ut mos est ceteris animalibus, sed virtute intra se impetus latentis celeri-

ri-

riter incedant, ac in varias se torqueant partes: cum tempore verno positis exuviis quotannis instaurentur, ac ad magnam perveniant ętatem, quamdam in hominum animos sui venerationem ac cultum injecerunt. Pierius Valerianus, & doctissimus Vossius de divinis Serpentum symbolis disputarunt. Quare minime mirandum est, si Serpentes salutis, Victoriæ, Pacis, Abundantiæ, Felicitatis, Prudentiæ non tam imagines & figuræ, quam ipsa Numina existimarentur. Hinc comites Diis additi, & fere Dæmonum omnium credita symbola, ut refert Justinus Martyr, & testantur Mercurii, Palladis, Cereris, Æsculapii, & aliorum vetera in nummis simulacra, in quibus Mercurii caduceum Pacem, & Felicitatem: Palladis Ægis Prudentiam & Victoriam: Serpens in Cista Bacchi Vitem inventam: Cereris currus alatis serpentibus junctus frumenti semina copiose terris inspersa: anguis Æsculapii baculo involutus salutiferum gramen significant. Serpentes quoque certissimos vię duces habitos, ac præsertim juvandis regibus missos crediderunt, ut de Alexandro Magno scriptum est, cui ad Hammonis oraculum per arenosas Libyæ solitudines proficiscenti,

Hieroglyph. lib. 14. Physiol. Christ. lib. 9. cap. 12.

Apolog. 2.

Arian. lib. 3.

ejuſque exercitui per incerta locorum aberranti, prodierunt repente obviam duo angues, qui viam omnibus indicarent. Verum ſupervacaneum eſt, quæ de Serpentibus ab antiquis tum Poetis, atque Hiſtoricis, tum a noſtris ſunt tradita, repetere, atque hunc in locum congerere. Itaque conſiſtam in Chiorum nummo, quem ait Seguinus in Theſauro Regio inveniri, in quo Serpens ingentibus ſpiris orbem terrarum amplectitur, & fovet, hac adhibita epigraphe: ΑΣΚΛΗΠΙΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ: *Æſculapii Servatoris*: Hic eſt ille anguis, quem Epidaurii raro quidem, ſed nunquam ſine maximo bono viſum eodem quo Æſculapium cultu ſunt venerati, quem lue peſtifera graſſante quaſi unicum ſuæ remedium calamitatis ampliſſima ab Epidauriis impetratum legatione in Inſula Tiberina Romani collocaverunt.

Agathodæmon.

Hiſt. Anim. lib. 8. cap. 12.

Tradit Ælianus ſerpentem Æſculapio dicatum, quamvis igneo colore præditum, acerrimo oculorum ſenſu, ore lato nihil tamen, cum miti eſſet natura, mordendo nocuiſſe. Nec illi noxii, qui in Epidaurii agro naſcuntur. Cujuſmodi etiam erat ille, qui a Triſtano exhibetur in Nummo Juliæ Sabinæ illi adblandiens, & ita

f Pauſan. Corinth. 2.

& ita mansuefactus, ut ex ore illius caperet cibum. Et Tiberio Imperatori *erat in oblectamentis Serpens*, quem manu sua alebat. Similiter auctor est Philostratus Junior, Ajaci Locrensi fuisse Draconem mansuetum pedum quindecim, quo ille convictore, atque instar canis utebatur. Igitur non est quod miremur ea, quæ de Lanuvinis Virginibus fingunt Poetæ, quæ quotannis in sacro Luco cibum ingenti Draconi præbebant, & eo modo, si eum attingeret, suam virginitatem probabant. Hac super re sunt hæc Propertii cultissima carmina, quæ non me piget describere.

Suet. cap. 72.

Eleg. 8. lib. 4. de Cynth. & Drac.

Lanuvium annosi vetus est tutela Draconis,
Hic ubi Tartareæ non perit hora moræ.
Qua sacer abripitur cæco descensus hiatu,
Qua penetrat [Virgo tale iter omne cave]
Jejuni serpentis honos, cum pabula poscit
Annua, & ex ima sibila torquet humo,
Talia demissæ pallent ad sacra puellæ,
Cum tenera anguineo creditur ore manus.
Ille sibi admotas a Virgine corripit escas,
Virginis in palmis ipsa canistra tremunt.
Si fuerint castæ, redeunt in colla parentum;
Clamantque Agricolæ, fertilis annus erit.

V. pag. 109

Ursinus in tabulis gentis Mettiæ, & Pappiæ duos denarios exhibet, ex quibus

De fam. Rom.

hæc facile colliguntur. Illi enim in aversis partibus Virginem Lanuvinum anguem pascentem ostendunt. Tristanus in Nummis M. Aurelii, & Faustinæ Minoris, Getæ, Elagabali, Gallieni multos nummos describit, in quibus Dea Salus, aut Imperatores, vel Augustæ Draconibus mansuetis vel suapte natura, aut arte, ac industria hominum, cibum porrigunt e disco. Vide Guiranum in Novo Thesauro Antiquitatum Romanarum, quem V. Cl. Albertus Henricus de Sallengre maxima eruditione ac gravitate præditus bono literarum incredibili in lucem edere aggressus est. Sed utcumque de serpentibus perinde ac in ipsis certa quædam divinitas inesset, a variis gentibus statutum sit, non ulterius immorabimur, cum intra Ægyptii superstitiosos omnium maxime ritus oratio concludenda videatur.

Tom. 1. 2. 3.

In 2. Numism. Nemausensi.

Tom. 1. pag. 1040.

In Ægyptiorum cæremoniis igitur fuit Serpentibus res nulla frequentior. Hi enim per illos Isidem atque Osiridem repræsentare solebant. Vide Joannem Smetium, qui hoc de genere multa disputat. Inter Serpentes, quos colebant Ægyptii, aut, ut verius dicam, inter sexdecim Aspidum genera, Thermu-

Antiquit. Neomag. p. 134.

mutin veneratione prosequebantur. Hæc enim sola immortalis credita est Aspis: quapropter in sacris ædibus cellulas illos dicunt habuisse, ubi hujusmodi angues alerentur. Atque ideo Ælianus narrat, Aspides Ægyptios Reges in diademate pictas gessisse, ut ita firmitatem imperii ac potentiam significarent. Illis igitur etiam Isidis coronata simulacra. Valerius Flaccus hæc canit.

lib. 6. cap. 38.

Lib. 4 Argonaut.

Et procul Io
Spectat ab Arce Poli jam Divis addita, jamque
Aspide cincta comas, & ovanti persona sistro.

Pignor. p. 26.

In Tabula Bembiana Serpente Isidis caput ornatur: & nummus apud Oiselium duas Isides alatas aspidem in capite cum cauda sinuosa tergum versus habentes repræsentat. Imo in Isiaca pompa una cum Api Serpens circumferebatur. Ovidius:

Tab. 47. num. 6.

Lib. 2. Amor.

Pigraque labatur circum donaria Serpens,
Et comes in pompa corniger Apis eat.

Et prope Isidis simulacrum serpentem argenteam statui consuevisse docet Juvenalis.

Et movisse caput visa est argentia Serpens. Sat. 6.

Movere caput hoc in loco significat, Isidem

dem ſe propitiam illi oſtendiſſe, qui eam votis ac precibus invocaviſſet. Credebant enim veteres motu capitis Numina fauſta omnia ac ſecunda portendiſſe. Tibullus hoc aperte indicat, cum die Cerinthi natalitio hujus Genio fingit ſe ſacra facere.

Eleg.2.lib.2.

Annuat, & Cerinthe, tibi quodcumque rogabis:
En age quid ceſſas? annuit ille, roga.

Faſt.tib.4. Ita quoque Ovidius.

Mota Dea eſt, operique favet.

Fortaſſe ſerpens noſter motu quodam cum extolli in gyros videatur, bonum illi omen portendit, qui impetrandæ ab Iſidis valetudinis cauſſa hoc Saxum conſtituit.

Quare autem Iſidi, quæ jam Luna eſt, ut oſtendam, atque Oſiridi qui Sol, Serpentes tribuantur, Macrobius aperte declarat cum inquit: *Simulacris Æſculapii & Salutis Draco ſubjungitur, quod hi ad Solis naturam, & Lunæ referuntur. Et eſt Æſculapius vis ſalubris de ſubſtantia ſolis ſubveniens animis, corporibuſque mortalium.* Neque ulli negotium faceſſat, quod Macrobius *Draconem*, non *Serpentem* illis Numinibus aſſignet. Nam Serpentes, Angues, & Dracones quamvis proprie ſum-

Lib.1.cap.20.

ſumpti inter ſe differant, apud auctores tamen præclariſſimos confunduntur, ut ſynonyma videantur.

Ceterum nil frequentius in Nummis ac ceteris monumentis obſervamus, quam Serpentem Apollinem, qui Sol eſt, & Iſidem, quæ Luna eſt, comitari. Lege Philippum a Turre. Gruterum, duntaxat hic addam, de Ara quadam meminiſſe Iſidi devota, quam *in Sancta Maria trans-Tiberim* nos ait poſſe intueri. Ibi cernitur Orbis, cui ſerpens ſe ſe erigit circumductus, quo ſymbolo volunt Genium terræ univerſæ ſignificari. De Serpentibus, & iis quidem ab Ægyptiis coronatis, conſule Ezechielem Spanhemium tranſalpinarum regionum decus nunquam interiturum.

De Mithra cap. 4.

Pagina LXXXII. 4

De Præſt. Numiſm. Differt. 4. Tom. 1.

CAP.

CAPUT VIII.

Isidem sub Urnulæ nostræ figura contineri. De Diis informibus mentio.

REstat ut nostram de Vase illo sententiam aperiamus. Equidem nec Cistam crederem, nec Vas hordeo frumentoque plenum, quod in Cereris seu Isidis cæremoniis circumferebatur: sed illam opinor figuram ipsam Isidem significare. Verba Apuleji repeto: *Gerebat alius felici suo gremio summi Numinis venerandam effigiem, non pecoris, non avis, non feræ, ac ne hominis quidem ipsius consimilem*. Ex his profecto simulacrum quoddam Isidis indicatur, non vero Osiridis, cum hujus caput in Marmoris nostri vertice evidentissime dignoscatur. Jam ex ejusdem Scriptoris verbis Urnulam nostræ fere similem vidimus fuisse descriptam. Quare autem veteres Isidem sub hac figura efformare voluerint, conjicere quidem multa possumus, vera autem pronunciare non possumus. Mystice certe dicendum, ab antiquis facta esse omnia: mystice quoque hanc figuram inductam, quod per hanc Urnam fortasse Nili exundationem,

nem, atque omnium lacunarum affluentiam significarent, cum jam inde summa rerum ubertas in Ægyptum omnem corrivaretur. Bona vero omnia Isidi atque Osiridi accepta illos retulisse compertum est.

Atque ego cum Isidem illa specie significari dixerim, nolim hinc dubitandi caussam aliquis arripiat, quin per hæc curiosa symbola, quæ humani nihil haberent, Deos suos Ethnici declaraverint. Ægyptii cum Osirim, quem Solem, & maximum Numinum appellant, effingere contendunt, sceptrum, in quo oculus insculptus inerat, effinxerunt. Sed iidem Ægyptii Canopi simulacrum formabant pedibus exiguis, contracto collo, ventre tumido in modum hydriæ, dorso æqualiter tereti, ut nulla hominis imago appareret. Phœnicibus Solis simulacrum Lapis est niger, qui ima in parte rotundus in cuneum tenuatur. Apud Pæones brevis Discus longo ligno oppositus pro Sole colebatur. Apud Arabes Lapis tetragonus pro Deo sumptus. Sed & Idæa Mater Pessinuntia sacer Lapis erat, quem Romani deducendum curarunt. Passim enim tum ab Ægyptiis, tum a Græcis Lapides pro Numinibus culti leguntur.

Macrob. Saturn. lib. 1. cap. 21.

Ruffin. Hist. Eccles. lib. 2. cap. 26.

Girald. de Diis Gent. Syntag. 1.

Maxim. Tyrius serm. 38.

Arnobius lib. 5.

Liv. Decad. 3. lib. 9.

Pau-

In Achaicis cap. 22. Pausaniæ id verbis confirmo, qui scribit: *Prope ipsum Dei signum*, Serapidis aut Mercurii, *Lapides fere triginta erecti sunt quadrangula forma: singulos certis Deorum* In Bœoticis cap. 24. *nominibus appellantes venerantur*. Idem ait in Hyetti Herculis delubro *signum esse non arte elaboratum, sed rudem prisco mo-* Ibid. cap. 38. *re* Lapidem. Denique, ut ille refert, *apud Orchomenios Liberi Patris templum extat, &, quod maxime priscum est, Gratiarum*: Saxa *vero quædam præcipua colunt veneratione, quæ excepisse Eteoclem e Cœlo delapsa ferunt*. Atque hic, qui legis, fata Lapidum quæso animadverte. Genes. capit. 28. v. 18. Jacobum prius accepimus *Lapidem*, quem capiti suo dormiturus supposuerat, oleo insperso desuper, in titulum Domino vero erexisse: tum *Lapidem* rudem nullo ornamento distinctum a Gentibus pro Numine sumptum: deinde in Deorum simulacra migrasse, atque in ea monumenta, quibus hominum memoria immortalitate donatur. Nunc ad Deos nostros informes redeamus. In Elajo monte Cereris Nigræ simulacrum Id. in Arcad. cap. 42. celebratur, quod ita *Phigalenses fabricaverunt, ut saxo insideret muliebri figura, præter caput, quod equinum, atque adeo cum juba esset, Draconibus & aliis feris ad*

ca-

caput alludentibus, reliquo corpore ad imos pedes tunica velato: altera manu delphinem, columbam altera præferente. De oraculo Jovis Hammonis traditum est illum fuisse umbilico simillimum. Tellerius vero in suis ad Curtium notis loco *Umbilici*, *Umbriculum* reponit, quod Umber spurium quoddam genus sit ex ove & musmone genitum, caprino villo, cornibus in anticam partem flexis ut plurimum geminis, nonnunquam quaternis, imo & senis instructum. Hac equidem super re nihil addam, an Tellerius recte sentiat. Dicam solum in Gallieni Imperatoris Nummo Arietem cerni, hac adhibita epigraphe: JOVI CONSERVATORI. In alio pariter Saloninæ extat Aries his verbis: AMMONI CONSERVATORI. Jam vero de Paphiæ Veneris simulacro & Tacitum audiamus: *Simulacrum Deæ non effigie humana, continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum metæ modo exurgens.* Et ut ad Isidem atque Osiridem revertamur, Patinus inter alia Faustinæ Numisma in Ægypto cusum vulgavit, quod in postica parte *Serpentem* ostendit capite flore decorato; de quo idem vir eruditissimus ita loquitur: *Serpens florem Isidis capite gestans Deam*

Curt. lib. 4 cap. 34.

Hist. lib. 2.

Numism. Imperat.

Mens. Isiac. *Deam refert*. Pignorius tandem, quod certe sine risu legi non potest, Gemmam *Molochiten* vocatam profert, ubi, commento sane perquam turpi, *Testes Oculati* cernuntur, qui pro Osiride colerentur.

Ex his igitur percipere quemque credo, quæ de Vase nostro conjecimus, ea proxime accedere ad veritatem. Si enim, ut vidimus, tum rudia Saxa, tum alia ridicula sunt veteres Deorum nomine venerati, Urnulam hanc nostram Serpente atque illis symbolis instructam loco Isidis citra ignominiam ac religionem habere potuerunt. *Adde ex pag. 110.*

Sed dum super vas nostrum Serpentem illum positum tamquam Isidem contemplor, imperare mihi non possum, quin quædam pauca in Baudelotio animadvertam. Probat ille ex Vallesii auctoritate antiquorum consuetudinem Deos Penates super vasa collocandi, atque id Athenæi sententia confirmat, qui de Cadisco, in quo velut in vase, ut ait Anticlides, Græci custodiebant Jovem Ctesium, recordatur. Dabo Athenæi verba, prout a Casaubono emendantur. *Jovis Ctesii signa ita statuenda: Cadiscum novum utrinque ansatum operculo tegendum*

Eod. lib. pag. 233.

Deipnosoph. lib. XI. pag. 473. edit. Lugd. 1612.

Animadv. in lib. XI. cap. 6.

dum : ſimulacri auribus coronam e lana alba imponito : ex humero ejus dextro lanam ſuſpendito coloris crocei : amicito etiam, ut erit tibi commodum : deinde ambroſiam illi effundito. Eſt autem ambroſia aqua pura, oleum, & fructuum omnium genus. Caſaubonus ſcribit Cadiſcum non eſſe Jovis Cteſii ſignum, ſed ipſius ſigni receptaculum, intra quod Deus ille aſſervaretur, quemadmodum Lares omnes in armariis collocari ſolebant; ex quo patet nihil in hoc Athenæi loco eſſe, unde a Baudelotio ſua opinio fulciatur.

CAPUT IX.

De Luna quæ in Urnula noſtra. Ea eſt Iſis. Multa de Luna ab Ægyptiis culta; & quare. Luna in amatoriis rebus invocata.

DE Luna, quæ in media Urnula cernitur inſculpta, nunc mihi eſt diſputandum; quamquam nonnulla de eadem ſum viſus ſuperius attingere. Jam eam eamdem eſſe ac Iſidem diximus, & ſub Lunæ figura Iſidem Ægyptios coluiſſe. Deam hanc quoque, intellectum, multis nominibus eſſe præditam, atque ita non pro Luna tantum, ſed pro aere ac terra ſumi, & vero pro natura univerſa. Propterea Diodorus ſuſpicatur Iſin antiquam fuiſſe Reginam, quæ in Ægypto regnavit; unde Iſin παλαιάν interpretatur, forſitan ab ישיש, quæ vox Hebraice *antiquam* denotat. Alii vero ad aliam vocem animum intendentes Iſin ab עסים derivant, ſcilicet *a terræ ſucco*, freti teſtimonio Plutarchi, qui Iſin naturæ matrem, ac nutricem facit: vel a voce Samaritana אסא, quæ *nutrire, alere* ſonat.

Diod. lib. 1 Plutarch. Macrob. ibidem.

A Turre ibid Voſſ. Idol Gent. lib. 2. cap. 24.

Ibid.

nat. Hinc tum Isidis tum Osiridis naturam creditum est ad omnium generationem plurimum conferre, quorum alter ignis ac spiritus, humor altera ac siccitas sit, uterque vero polleat potestate, per quam gignantur omnia, & alantur. Omnino si Ægyptiorum physicum sensum attendimus, Isis atque Osiris nihil aliud quam Sol, & Luna: atque hac de caussa horum templa fere semper fuisse conjuncta docemur, quamvis etiam constet hæc duo Numina in eodem templo sæpe habitasse. Quod quidem liquet ex templo, cujus pars adhuc extat in hortis Cœnobii Olivetanorum Romæ: quod templum Isidi & Osiridi sacrum, seu Lunæ, & Soli eruditi consentiunt. Luna insuper ab Ægyptiis bifaria ratione considerabatur: primum uti lumen a Sole mutuatur, & tum feminea est instructa virtute, Isisque appellatur: deinde ut lumen per aerem in terras, & aquas diffundit, unde arborum, atque animantium ceterorum facilius generatio proficiscatur: & hoc pacto jam illa viri partes obit, & Osiridis nomine nuncupatur.

Victor & Rufus.

Veteres quoque opinor sub Sistri figura, cujus superior pars in circulum desinit, Isidem seu Lunam voluisse de-

De Sist. clarare. Qamquam Benedictus Bacchinus alium ex Plutarcho sensum videtur eruere, meam tamen sententiam quodammodo firmat. Ille igitur ait: *Superiore ex Sistri parte LUNÆ circulum seu globum significari, sub quo omnia ob generationem atque interitum concutiantur, quod ea ad imaginem Cœli rotunda sit, seu circuli Lunaris portionem imitetur*. Sed etiam De Isid. & Osirid. proferatur Plutarchi de Sistro sententia, ubi etiam redditur ratio, quamobrem illud instrumentum quatuor virgulas, seu chordas plerumque contineat: *Et sistri*, inquit, *superiore parte rotundi conspectus admonet de quatuor corporibus, quæ concutiuntur. Nam quæ pars mundi ortui & obitui est obnoxia, ea continetur globo Lunæ: inque ea omnia moventur ac mutantur ratione quatuor elementorum, ignis puta, terræ, aquæ, & aeris*. Verum Isidis nomine, cum pro Luna intelligitur, video posse conjici multa, atque explicari. Adi Lib. 39. in Iside. Pierium Valerianum. Unum hoc addam, taurina cornua eam apud Ægyptios fingi gestantem, perinde ac Lunæ novæ speciem exhibeat: nigra amictam palla, per latebras atque obscura loca appetentem Solem, quem unum impense concupiscit. Unde factum est, ait Plutarchus, ut in ama-

amatoriis Luna invocaretur. Consulatur Causeus, apud quem simulacrum spectatur, ubi Isis, quæ jam est Diana, Cybele, Libera, Ceres, Proserpina, & quidquid velis, Luna vero potissimum, prima crescente Luna veluti diademate coronatur. Guiranus affert Inscriptionem, in qua Luna & Isis legitur. Eamdem Jacobus Grasserus emendatiorem producit, sed emendatissimam omnium Gruterus. Deor. Simula. Tab. XIII. Numism. Nemaus. Antiq Nemausen.) Pag. XLII. 8.

LUNAE. ET ISIDI.
AVG. SACR.
C. OCTAVII
PEDONIS. LIB.
TROPHIMIO. SEVERI
AVG. V. S.

Equidem verba hæc, quæ jam solutum votum indicant, inscripta Isidi duntaxat putarem, quæ jam Luna est, cum hoc epigramma, ut notat Gruterus pictam Lunulam crescentem, & Sistrum ostentet e Scaligeri Schedis.

CAPUT X.

De Osiridis Capite. Ipse cum Iside bonæ valetudinis Præses. Ægroti in templum Serapidis ducti. De Ave, quæ in Marmoris fastigio spectatur. De Accipitre atque Ansere Isidi atque Osiridi sacris.

CAput Osiridis a læva parte in summo Lapide intuemur insculptum, quem Bovis specie, atque Apis nomine antiqui sunt venerati. Jam Serapidem eumdem esse atque Osiridem ab auctoribus passim
In Harpoc. docemur. Scriptorum loca, quæ Cuperus opportune adduxit, prætereo tacitus, & in Plutarchi verbis tantum consisto: *Præstat autem Osirim cum Baccho eumdem facere, & cum* Osiri Serapin, *sic dictum postquam naturam mutavit, quia omnibus communis est Serapis. Quomodo autem Osiris sit appellatus, norunt, qui sacrorum sunt facti participes.* Et rursus idem ait: eamdem *facultatem, quæ præest conversioni Solis Horum, Græcis Apollinem vocari: quæ vento ab aliis* Osirin, *ab aliis* Serapin, *Ægyptiace Sothi*; Et paullo post: *Minime equidem de nominibus est contendendum. Ego tamen* Serapidis *potius, quam* Osi-

Osiridis *nomen Ægyptios sibi vindicare sinam. Illud enim peregrinum, hoc Græcum: ambo unius Dei, seu facultatis vocabula censeo*. Quæ quidem verba, ut existimat Fabrettus, omnem tollere videntur dubitationem, cur tot Serapidi templa, & vix unum Osiridi statutum legamus. Externum quippe Numen Serapidis peregrino, suoque patrio nomine vocari par fuit. Mitto alias Plutarchi, & aliorum sententias, Apim esse intelligendam formosam animæ Osiridis imaginem, Apimque eumdem esse atque Osiridem, id solum in Macrobio animadvertens eumdem esse Serapidem ac Solem Ægyptiis, Persisque Mithram. Verum opponet mihi aliquis, quid Sol cum voto suscepto pro valetudine, quid Isis etiam cum Serapide collocatur?

Inscript. cap.6.

Lib. 1. cap. 20 a Turre de Mithra cap. 2.

Opportune omnia sunt inventa a veteribus, atque instituta sapienter. Isis enim, ut jam cum Macrobio supra commemoravimus, *juncta religione*, hoc est cum Serapide, *celebratur*. Ergo hæc duo Numina nunc simul conjuncta rectissime dicendum est; nemoque certe repugnabit, cum utrumque bonæ valetudini præesse intellexerit. Jam alibi id leviter attigi. Nunc aliquanto latius res pa-

patere debebit ex Inſcriptionibus, quas tum a Grutero, tum a Fabretto deprom-ptas ſtudioſorum oculis ſubjicio.

Pagina LXXXII. 5

ISI. SACR
L. MAGIVS PHILEAS VI. VIR
AQVIL. OB
SALVT. GRATTIANI
FILII. ET GRATTIAE

Altera hæc indicat manifeſte eadem de caußa Serapidi ſimul atque Iſidi votum ſolutum.

Pagina LXXXIV. 8.

ISIDI. SERAPIDI. LIBER
LIBERAE. VOTO
SVSCEPTO. PRO. SALVTE
SCAPVLAE. FILII. SVI
P. QVINCTIVS. PARIS
S. L. M.

Spectat quoque ad Iſidem hoc epigramma, quod jam eam Lunam eſſe ſignificavimus.

LV-

LVNAE. AETER. SACR,
PRO. SALVTE
IMP. CAES. L. SEPTIMI
SEV. PII. INVIC. PRINC.
PONT. MAX. P.P.
JVLIVS. BALBILLVS
ANVLLINVS
PRAEF. VIGIL. V. S. L. M.

Pagina LXXXII.2

Hoc pariter ad Serapidem pertinet, cum idem jam ſit Serapis ac Sol.

SOLI. AETERNO
SACR
PRO. SALVTE. P. VALERI
CRISPI. SEPTEMTRION
SACERD. DEI. INVICTI
M. ANTONIVS. M. F. LIBER
MESOPYLVS
AEDITVVS. LOCAVIT

Pagina LXXXII.2

Sed & qui hoc Votum Terræ matri ſolvit,

Pagina XXVI. 6. vit, Iſidem intellexit, quoniam ſatis ſuperius eam quoque Terram eſſe indicavimus.

TERRAE . MATRI
MAROGATANVS
PRO . SALVTE . SVA . ET
SVORVM
V. L. M. S.

Iter Ital. Dalm. &c T. 2. Jacobus Sponius in finem ſuorum Itinerum duas Græcas Inſcriptiones conjecit, quas huc afferre placet, ut ex his melius etiam Iſidis, in Græcia cultum conſtabiliamus, ſicuti antea declaratum eſt. Hanc Sponium in nobiliſſima Marchionis Richardi domo Florentiæ reperiſſe legimus.

ΙΣΙΔΙ ΧΡΕΣΤΗΙ ΕΠΙΚΟΩΙ
ΣΕΛΕΥΚΟΣ ΣΟΚΡΑΤΟΥ ΕΥΧΗΝ
ΕΠΙ ΙΕΡΕΩΣ ΔΙΟΚΛΕΟΥΣ
ΤΟΥ ΔΙΟΚΛΕΟΥΣ ΤΥΡΜΕΔΟΥ

Hoc eſt, *Iſidi concedenti, obſequenti Seleucus Socratis filius votum poſuit ſub Pontifice Diocle Dioclis filio Turmedo.*

Hanc

Hanc vero, quæ aliqua verba desiderat, ad Montis Cynthii radices se vidisse testatur.

ΠΟΠΛΙΟΣ .... Tom. 2.

ΤΟΥΤΩ Ι......

ΥΠΕΡ ΕΑΥΤΩΝ.......

ΤΩΝ ΙΔΙΩΝ ΣΑΡΑΠΙΔΙ

ΙΣΙΔΙ ΑΝΟΥΒΙΔΙ ΑΡΠΟ

ΧΡΑΤΕΙ ΔΙΟΣΚΟΥΡΟΙΣ

ΕΠΙ ΙΕΡΕΩΣ

ΣΤΑΣΕΟΥ ΤΟΥ ΦΙΛΟ

ΚΛΕΟΥΣ ΚΟΛΩΝΗΘΕΝ

Hoc in loco votum Isidi, Scrapidi, Anubidi, Harpocrati, Castori, & Polluci solutum legimus: quæ Numina ibi fortasse templum, aut saltem Aram in Apollinis delubro habuerunt, quamvis hanc nobis cognitionem antiqui historici inviderint. Ægyptii enim interdum Serapidem Jovem esse dicebant, atque Apollinem; quare Serapidis caput radiis distinctum sæpissime exhibuerunt. Isidem autem ab ipsis pro Luna sumptam ad fastidium usquè probavimus.

Ad nostrum præterea institutum magis comprobandum multum valet Nummus

mus æreus Imperatoris Claudii, ubi Isis sistro, Situla ornata cernitur hisce verbis: SALUS AVG. Atque hinc cum Philippo a Turre sentio Isidem SERVATRICIS, ac SALUTARIS nomen fuisse adeptam. Apud Fabrettum hæ leguntur Inscriptiones.

De Diis Aquil pag. 314. Pauf lib.8 Inscript. cap.6.

PROSERPINAE
SERVATRICI
SEX. VOLVMNIVS
PRO. AEMILIA. PETE
LINA. CONIVGE. SIBI.
RESTITVTA
EX VOTO SVSCEPTO
ARAM. CONSECRAVIT

Nemini credo creaturum esse negotium *Proserpinæ* nomen in hac Ara votiva inscriptum, quasi vero nihil ad Isidem. Scribit enim Plutarchus: *Neque alium esse Serapidem quam Plutonem, aut Isidem quam Proserpinam*, ut superius est demonstratum. Eusebii verba, quæ huc peropportune possent adduci, brevitatis caussa omitto.

In Isid. & Osirid.

Præparat. Euang. lib. 4. cap. ult.

SAE-

SAECVLO . FELICI
PHISIAS . SACERDOS . ISIDIS . SALUTARIS
CONSECRATIO
PONTIFICIS . VOTIS . ANNVANT. DII . ROMANAE
REIP. ARCANAQVAE . VRBIS . PRAESIDIA . ANNVANT
QVORVM . NVTV . ROMANO . IMPERIO . REGNA . CESSERE

Ceterum pedum potiſſimum curationes Iſidi acceptas veteres retulerunt. Hinc figura Pedum non raro exculpta in his monumentis invenitur, quæ tamquam memoria curationis offerebatur.

Imo in Serapidis fanis ſolebant Ægyptii ac Romani ægrotos certis quibuſdam ritibus expiatos deponere, ut remediis immiſſis per ſomnium, quemadmodum indicat formula EX VISU ſæpe in ejuſdem celebrata Inſcriptionibus, doceret eos Deus ille, quo adverſus morbos poſſent uti medicamento. Hac de re pulcherrimum ſuppetit Ciceronis effatum: *Quid convenit ægros a conjectore ſomniorum potius quam a medico petere medicinam? An Æſculapius, an Serapis poteſt præſcribere* per ſomnium *curationem valetudinis?* Eſt præterea illud de Veſpaſiano narrante Suetonio: *E plebe quidam luminibus orba-*

Artemid.

Henric. Kipping. Antiq. Roman. cap. 5.

De Divin. lib. 2.

Cap. 7.

batus, item alius debili crure ſedentem, Veſpaſianum videlicet, *pro tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudinis demonſtratam* a Serapide per quietem; *reſtituturum oculos, ſi inſpuiſſet; confirmaturum crus, ſi dignaretur calce contingere*. Idem in Tacito legitur. Morem hunc immittendi ægris remedia per quietem hæc Inſcriptio confirmat.

Lib.4. Hiſtor. prope finem.

Inſcr.Ibid.

DEO. SERAPI
M. VIBIVS
ONESIMVS
EX. VISV.

Quare Fabrettus addit: *Votum ab Oneſimo pro ſalute Serapidi ſolutum* EX. VISU. *explicat vetuſtam illam ſuperſtitionem, a Serapide nimirum* per Somnium *curationem valetudinis expectandi*. Ex illis Ciceronis verbis ſatis ab omnibus poſſe intelligi credo, ægrotos vel in Æſculapii templis incubare conſueviſſe, ut medelam in ſomniis expectarent. Omitto Inſcriptiones, quia jam res eſt trita ac pervagata, cum antiquitatis ſtudioſi Danielem Claſſen poſſint evolvere, in cujus libro omnia quæ in hanc rem a me dici queant,

De Orac. lib.1. cap. 10.

queant, rectissimo digesta ordine repe- riuntur. Adjungam his tantum simile nescio quid de Hyetto Hercule tradere Pausaniam: *Hyetti Herculis Delubrum visitur, & ex eo morborum remedia expetuntur**. In Grutero certe hoc extat monumentum.

Bœot. cap. 24.

*V. pag. 110. Pagina XLVII. 11.

HERCVLI
INVICT
PRO. SALVT
C. IVL. METRO
BIANI. ET
AELIAE. BO
NAE. CON
IVG. ADA
MAS. EX VOT

Verum quod ad Isidem ac Serapidem attinet, arbitror cuique esse persuasissimum, quam apte in nostrum Marmor cum Iside etiam Serapis conveniat, cum jam uterque hominum valetudini inserviret.

Fieri potuit, ut in dextera parte, quæ anteriore latere ac posteriore summo in mar-

marmoris loco manca eſt, caput Iſidis, atque Hori exiſteret, ut hoc in monumento omnia tum Oſiridis atque Iſidis expreſſa ſymbola haberentur, tum etiam effigies ſpectaretur.

In medio Lapidis faſtigio Avis cernitur, cui vaſculum adhæret, opinor, ut inde haberet alimenta, quibus foveretur. Multis in ſimulacris, atque ejuſmodi monumentis, Aviculas ac Serpentes, apud quos talia vaſa cernuntur, licet intueri. Quod autem genus ſit Avis, quæ Saxum noſtrum exornat, non video tam facile poſſe divinari. Illam equidem crederem eſſe Upupam, cum Ælianus in ſummam illam aſſerat apud Ægyptios præſertim veneratione verſari, quod hæc ſpecies ſoleat ſe erga ſuos gratam oſtendere. Pignorius in Tabula Bembiana jubet a nobis ſceptrum obſervari, in cujus vertice caput Avis extollitur, quam ille Upupam vocat. Idem in Gemma affert Hori typum. Hæc Horum in Baride forſan jacentem oſtendit, ac veſte virgata indutum. Caput & pedes Upupa obſidet, cum Horus Oſiridi patri ſuo mortem a Typhone illatam per ſummam pietatem ſit ultus. Quoties enim gratum alicujus animum volebant Ægyptii ſignifica-

lib.10.cap.17. lib.16. cap.5. de Hiſt. Anim.

Tab.1.&2.

Pag.52.

ficare, Upupas legimus depinxiſſe. Itaque qui hunc Lapidem Iſidi ſacravit, aut propter ab Iſide bonam impetratam valetudinem, Upupa inſculpta, ſe illi gratum prodere in animo habuit, aut Hori erga patrem pietatem ea ratione demonſtrare. Similes Aves in Pignorio, & in Cupero ſignis ac Gemmis impreſſæ cernuntur.

Si quis vero in eam opinionem inclinet animum, ut illum Accipitrem credat, quippe qui Soli quoque ſit conſecratus, cujus plumis noſtra Numina ſæpe ornata occurrunt, non repugnabo; quamquam Accipiter grandior eſt.

Quoniam de Upupa, atque Accipitre noſtris Numinibus ſacris meminimus, de Anſere quoque, quæ* Iſidi atque Oſiridi devota dicitur, locus poſtulat ut recordemur. Anſer enim in templis eorum alebatur, atque fuit ſacrificium Iſidi gratiſſimum. Iſiacus enim apud doctiſſimum Spanhemium Sacerdos inter varias florum, & fructuum primitias etiam Anſeres gerit. Illæ autem Soli dicatæ ſunt, quia ut hic nil niſi ignis, ita hæ aves natura calidiſſimæ ſunt. Sed de his Pignorius, Voſſius, Cuperus, Smetius, & Spanhemius ad ſatietatem quemvis docebunt.

*ſupple Avis ex pag. 109.

Differt. 6. de Præſt. Numiſ.

Menſ. Iſiaca paſſim. Theolog Gent lib. 9 cap 11. De Harpoc. pag. 72. Antiq. Neomag. pag. 132.

CAPUT XI.

Alterum Lapidis Isiaci latus. Anubis. De Palma, & Situla quas gerit. Tertium latus explicatur, ubi Discus, Dolabra, vel Dolabrum, ut ait Boissardus; Vasculum, & Flos in eo; ubi quædam de Libationibus. Lucerna Isiaca.

IN altero Marmoris Isiaci latere, ecce tibi Anubis canino capite Osiridis, & Nephthyos filius, quem e furtivo natum
Ibid. concubitu refert Plutarchus. Pedes sunt instructi talaribus, cum Mercurius sub
Ibid. ejus figura coleretur. Verum Apulejum audiamus: *Ille Superum commeator & inferum, nunc atra, nunc aurea facie sublimis, læva caduceum gerens, dextera palmam virentem quatiens.* In Cupero Si-
pag.32. gnum observatur Harpocratis talaribus ad pedes adhibitis. Anubim caput canis tradiderunt ostendere, aut propter Mercurii sagacitatem, cum sit nihil cane sagacius: aut quia cum sit Anubis Osiridis filius, patrem secutus in bellis se probavit fortissimum, & Isidis atque Osiridis fuit semper visus custos diligentissimus.

Ceterum si quem nobis Cynocephalum

lum exhibet Apulejus, palmam dextera gestantem, non vero læva manu, ut in nostro Signo apparet, manifeste intuemur, hoc nemini facessere negotium debet. Tum enim in Gemmis ac Nummis, tum in ceteris antiquitatis monumentis effictum arbitror Anubim ad voluntatem Sculptorum, quos interdum nihil, aut certe parum de rerum ordine laboravisse videmus in multis. Quamquam huc totam industriam collatam intelligimus, ut omnia, quæ aliquid significarent, exprimerent. Chifletius varia Anubis simulacra exhibet. Inter alia signum unum illi, quod ab Apulejo describitur, profert plane simile, in cujus dextera palma est, quam noster Anubis tenet sinistra. Sinistrâ vero Chifletii Anubis caduceum tractat; noster dextera Caduceum, aut Sistrum fortasse gessit; quamquam id, cum ea pars desideretur, minime appareat. Sua enim etiam erat Sistro significatio, quoniam Isidem constat Ægyptii Genium habitam, qui per Sistri motum *Nili accessum & recessum* indicaret. *Quidam Deam quamdam esse dicebant, & Deam quidem Dianam, aut ejus loci Genium Isim.*

Gemm. Abrax. Tab. 13.

Heliod. lib. 1. init.

Atque hoc in loco illud mihi venit in mentem, quod Juvenalis dixit: Anu-

Sat. 15.

bim videlicet ab omnibus coli, Isidem vero a nemine.

Oppida tota Canem venerantur, nulla Dianam.

Censeo hoc a Poeta potius satyrice quam vere pronunciatum. Nam Saxum nostrum Isidem, atque Anubim præfert. Præterquamquod, teste Herodoto, in Urbe Bubasti Dea hæc fuit cultu peculiari honestata. Verum & Cynocephalum nostrum *Situla* læva manu tenentem contemplemur.

Lib. 2.

Non solum Sistro, verum etiam Situla frequenter Ægyptiorum Numina exornabantur. Nam ex illorum sententia humorem rerum omnium esse originem credebant antiqui, quæ ut Ægyptii clarius docerent, Hydriam, vel Situlam aqua plenam in Osiridis, & Isidis sacris circumferri jubebant, ut docet Apulejus, cui Vitruvii verba omnino addenda videntur. *Ex eo etiam, qui Sacerdotia gerunt moribus Ægyptiorum, ostendunt omnes res e liquoris potestate consistere. Itaque cum Hydriam tegunt, quæ ad Templum, Ædemque casta religione refertur, tunc in terra procumbentes, manibus ad Cœlum sublatis, inventionibus gratias agunt divinæ benignitatis.* Neque illud memoriæ man-

Ibid.

In Præfat lib 8 edit. Elzeu. Amst. 1649.

mandare neglexit Plutarchus; cum inquit: *Non solum autem Nilum, sed omnem simpliciter humorem defluxum Osiridis vocant: & ante sacra in pompa semper praecedit* Vas Aquarium *in honorem Dei*. Ubi insignis iste Philosophus ex Ægyptiorum doctrina plurima disputat, unde comprobatur principium rerum ab humore profectum. Vide Servium, qui per situlam affluentiam omnium lacunarum significari demonstrat. Baudolotius tamen contra illum sentiens, scribit, per hanc Situlam non bene quod ait Servius, significari, dum Vasculo illi nihil esse potest cum lacunarum cursu. Potius existimat per illas situlas fieri manifestum, omnia Ægyptiaca Numina inter Lares Deos sedem obtinuisse. Nummi autem, & alia Antiquitatis monumenta imagines referunt, ubi Palma, qualis nostra est, ab eruditis conspici potest. Sed ad tertiam Lapidis partem explicandam veniamus, in quo Discus, Dolabra, seu, ut ait Boissardus, Dolabrum, & Vasculum apparet, ubi etiam Flos est bellissime insculptus.

8. Æneid.

In larib.

Fuit veterum consuetudo, ut postquam Diis sacra ac vota fecissent, in marmoribus sacrificii potissimum instrumenta, & interdum victimarum capita insculpe-

Gulielmus Choul. de Vet. Relig. Rom.

perent. Id certe tum ex aliis, tum ex nostro Marmore confirmatur, ubi quæ dicimus, possumus efficta spectare, Discum scilicet, Dolabram, & Poculum, quæ, ut jam constabit, in sacrorum usum antiquis temporibus cessere. Disco, teste Boissardo, ad ferendas carnes, aut sanguinem colligendum, qui una cum vino Aris inspergeretur, ubi delibassent Numinibus, Romani sunt usi. Quod si nonnullis non Discus, sed Patera videbitur, nihil ideo mihi esse laborandum censebo.

Dolabra fuit culter grandior ab Ethnicis in sacrificiis usurpatus, ut victimas, ubi malleo percussæ essent, aut jugulatæ, degluberent. Hoc a *dolando* dictum est instrumentum, hoc est ab æquandis carnium partibus, quæ Diis offerrentur. Isidi autem scimus Vitulam fuisse dicatam, atque adeo, cum illi aliquis operaretur, oblatam. Isidi quoque jecur Anseris sacrum erat, quia eo nihil delicatius crediderunt. Imo ait Artemidorus in Isidis templis anseres solitos esse servari.

Voss Theol. Gent. lib 9. Alex ab Alex. lib. 3. c. 12.

Oneiroc. lib. 4.

Quodnam autem Vasis genus sit, quod medium tamquam fractum in saxo insculptum est, difficile mihi videtur ali-

quid

quid vero ſimile conjectura duce depromere. Inter Vaſa Libatoria Simpulum fuit, ſive Simpuvium, ex quo in Libationibus Sacrificiorum minutatim parum vini ſacrificantes deſumebant. De Simpulo quid ſentiat Feſtus, audiatur. Simpulum, inquit, *Vas parvum, non diſſimile cyatho, quo vinum in ſacrificiis libabatur, unde & mulieres rebus divinis deditæ*, Simpulatrices *dicuntur*. Verum ſi ex antiquis lapidibus, & nummis ejus figuram metimur, nihil Simpulo cum noſtro Vaſculo commune ac ſimile reperiemus, niſi vero ſculptoris voluntati ac libidini aliquid permiſſum velimus. Præfericulumne illud eſſe dicemus, quo pariter in ſacrificiis antiquæ uſæ gentes feruntur? Verum cum hæc animo agitarem, ac ſcriberem, ſtatui meos mihi amicos conſulendos, ac potiſſimum V.Cl. Blaſium Caryophilum, qui ut probe cognoſcerem doctiſſimos quoſque eſſe humaniſſimos, quæ ad hoc meum inſtitutum pertinentia in ſua Adverſaria conjecit, illorum mihi copiam liberaliter fecit, atque, ut evulgarem, libenter permiſit. Hæc igitur, quæ ſequuntur ex Amici Schedis collecta ſunt.

Saubertus de Sacrific. cap. 18.

In Etymol. Magno. Julius Pollux inter ἀναθήματα *oblationes* vel *dona sacra*, numerat στεφάνους, φιάλας, ΕΚΠΩΜΑΤΑ, θυμιατήρια, χρυσίδας, ἀργυρίδας, οἰνοχόας, ἀμφορίσκους *coronas*, *phialas*, POCULA, *thuribula*, *aureas*, *argenteasque phialas*, *cyathos*, *amphoras*, quæ in templis vel Sacellis reponebantur: hinc, ut scribit Polemon, in Sacello Metapontinorum in Olympia erant φιάλαι ἀργυραῖ ἑκατὸν τριάκοντα δύο, οἰνοχόαι ἀργυραῖ δύο, *argenteæ phialæ* CXXXII. *gutti argentei duo*. Et in Sacello Junonis vetusto φιάλαι ἀργυραῖ τριάκοντα, κρατάνια ἀργυρᾶ δύο *argenteæ phialæ triginta*, *argentea Cratanea duo*. Vasa etiam sibi propria habuit mensa sacra Hebræorum. Hinc LXX. interpretes in Exodum καὶ τοὺς κυάθους αὐτῆς, ἐν οἷς σπείσεις. Sed quem usum poculum nostrum habuerit, nunc disquirendum. Antiqui Ethnici præ aliis, quæ peragebant, cum ad Deos accederent, solebant σπένδειν, vel κατασπένδειν, σπένδειν idem ac λείβειν, hoc est *libare*, usi hac precandi formula, uti *bene vos*, *bene nos* vivere εὔχομαι *precor*: quod expressit Ovidius

Ap. Athen. l. 11. p. 479. — p. 480. — c. 25. v. 29. — Poll. l. 1. c. 1. — Eustath. in Homer. p. 640. — l. 2. fast.

Et bene vos, bene tu patriæ pater optime Cæsar,
Dicite suffuso per sacra verba mero.

Inter libationes & preces Deos rogare so-

soliti, ut quæ justa sunt, agere possent, uti a Xenophane Colophonio traditum elegantissime. Ap. Ath. l. 11. p. 462.

Νῦν γὰρ δὴ δάπεδον καθαρὸν καὶ χεῖρες ἁπάντων.
καὶ κύλικες, πλεκτοὺς δ' ἀμφιτιθεὶς στεφάνους,
ἄλλος δ' εὐῶδες μύρον ἐν φιάλῃ παρατείνει.
κρατὴρ δ' ἕστηκεν μεστὸς εὐφροσύνης.
ἄλλῳ δ' οἶνος ἕτοιμος, ὃς οὔποτε φησὶ προδώσειν
μείλιχος, ἐν κεράμοις ἄνθεος ὀσδόμενος.
ἐν δὲ μέσοις ἁγνὴν ὀδμὴν λιβανωτὸς ἵησι,
ψυχρὸν δ' ἐστὶν ὕδωρ καὶ γλυκὺ καὶ καθαρόν.
πάρκειται δ' ἄρτοι ξανθοὶ, γεραρή τε τράπεζα,
τυροῦ καὶ μέλιτος πίονος ἀχθομένη.
βωμὸς δ' ἄνθεσιν αὐτὸ μέσον πάντῃ πεπύκασαι,
μολπὴ δ' ἀμφὶς ἔχει δώματα καὶ θαλίη.
χρὴ δὲ πρῶτον μὲν θεὸν ὑμνεῖν εὔφρονας ἄνδρας
εὐφήμοις μύθοις καὶ καθαροῖσι λόγοις.
σπείσαντάς τε καὶ εὐξαμένους τὰ δίκαια δύνασθαι
πρήσσειν. ταῦτα γὰρ ὦν ἐστὶ προχειρότερον.

Nunc enim mundum solum est, puræ cunctis manus, atque etiam calices: est vero corona, quæ circumponitur, plicatilis. Alius in phiala suavis odoris unguentum porrigit: adstat autem plenum delectationis poculum: vinum aliis in promptu, quod nunquam se deserturos ac prodituros ajunt, melliti gustus, in doliis flores olens. Horum in omnium medio castum odorem thus spirat, geli-

lida, dulcis, & syncera aqua est. Adjacent flavi panes, honorataeque mensae, caseo, & pingui melle onustae. Ara quaquaversus media floribus stipatur: aedes circumquaque cantu personant, & conviviis. Est autem hymnis laudandus primum sapientibus viris Deus faustis verbis, mundoque ac puro sermone: post Libationes, ac Preces, ut quae justa sunt, agere possis: hoc enim magis expeditum ac facile est. Clarius tamen ex Ione Chio

χαιρέτω ἡμέτερος βασιλεὺς, σωτήρ τε πατήρ τε,
ἡμῖν δὲ κρατὴρ. οἰνοχόοι θέραπες

κιρνάντων προχοαῖσιν ἐν ἀργυρέαις. ὁ δὲ χρυσὸς
οἶνον ἔχων χειρῶν νιζέτω εἰς ἔδαφος.

σπένδοντες δ᾽ ἁγνῶς Ἡρακλεῖ τ᾽ Ἀλκμήνῃ τε
Προκλέϊ Περσείδαις τ᾽ ἐκ Διὸς ἀρχόμενοι,

πίνωμεν, παίζωμεν.

Salve rex noster, pater ac servator: nobis ad manum esto calix: pocillatores ministri vinum misceant guttis argenteis: aurum vino grave in manum solum veniat: libantes caste Herculi & Alcmenae, Procleo, Persidis, & auspicati ab Jove bibamus, ludamus. Apud Romanos vinum in mensa libatum. Virgilius

Aeneid. 5. 737. *Dixit & in mensa laticum libavit honorem.*

Quinimo aliquando cum Deos precaban-

bantur, vini aliquid in menſam effundere conſueti, ut ex Virgilio conſtat.

In menſam læti libant, divoſque precantur. Lib. 8. v. 279.

Hebræis in more poſitum, ut vinum totum Deo offerrent: contra vero Ethnici vini parte aliqua Numini libata, reliquam ſacrificantibus ebibendam diſtribuerent, ut ex Pentateucho deducimus: & *dicit Dominus, ubi ſunt* Deut. c. 32. *Dii eorum, in quibus habebant fiduciam,* v. 38. *de quorum victimis comedebant adipes, &* ישתו יין נסיכם *bibebant vinum libaminum*; quod vinum Græcis οἶνος σπονδῶν di- Esther. c. 14. v. 17. citur. Ægyptii למני ממסך *Meni vinum mixtum* libare ſoliti, κέρασμα a Græcis Paraphraſtis nuncupatum, ut ob præte- Ap. Iſai. c. 64. v. 11. riti, & futuri anni fertilitatem illi gratias agerent. Menin Diodorus Ægyptio- l. 1. rum regem fuiſſe memorat, qui illos ad victus, cultuſque rationem traduxit, ac multis beneficiis cumulavit; qua de cauſſa inter Deos illum retulerunt; hinc apud l. 12. sub Strabonem Μηνὸς ἱερὸν legimus. Hebræi fin. tamen vinum tantum purum & generoſum in ſacrificiis effundebant; Locus Lev. c. 13. v. 13. Num. c. 15. v. 7. & c. 28. v. 7. enim in altari erat, ubi שניס פלים *duæ conchæ* ſitæ, una in quam aqua, altera in quam vinum immittebatur, prima Miſn. in tract. Succa. Occidentem, ſecunda vero Orientem ſpe-

ctabat: quæque Conchis excepta, in Chidron poſtea defluebant. R. Maimonides in Feſto Tabernaculorum hoc tantummodo factum aſſerit, cum Hebræi Deum rogarent, ut per annum ingentes pluvias demitteret. Sacrificiis vero, quæ ſingulis diebus peragebantur, vinum non per haſce conchas effundi ſolitum, ſed per foramina ſita in angulo altaris, qui Occidentem Auſtrumque reſpiciebat, in quem reliquum ſanguinis poſt aſperſionem parietibus altaris factam, emittebatur. Solenne etiam Ethnicis vinum poculis κατασπεῖσαι hoc eſt, *inſpergere fronti victimæ, ita enim explorabant victimas, ut ſi non exhorrerent, aptæ probarentur*; quemadmodum κατασπένδειν explicat Servius. Nunc ad Poculum noſtrum deveniamus. Apud Gentiles vaſa erant τῶν ἀνθρώπων χρείας ἕνεκα *ad hominum uſum; alia vero* τῆς τῶν θεῶν τιμῆς *ad Deorum cultum comparata*. Primi generis Eratoſthenes Cymbia facit: phialas autem ſecundi: quamvis hoc verum non ſemper ſit. Nam legimus Deorum cultui cyathos, amphoras, pleraque alia pocula deſignata, & conſtituta, quæ & hominibus inſerviebant; ſicut innumera alia ad hominum uſum comparata, præter Cymbia.

In Man. fort. & in tract de miniſtr. Sacrific.

In lib 6. Æn.

Ap. Athen. l. 11. p. 482

bia. Poculum igitur nostrum quin sacrificiis Isidis deserviverit, nullus dubito, cum sculptum marmori simul cum cultro, & disco inspiciamus. Poculis enim Gentiles utebantur in libationibus: hinc fœditati tribuit Theophrastus, si, ἐὰν εὐχομένων καὶ σπενδόντων ἐμβαλεῖν (ἐκβαλεῖν legendum putat Casaubonus) τὸ ποτήριον *dum vota libationesque fiunt, poculum sibi e manibus elabi sinat*. Poculum in marmore Isiaco positum poculum Alexandrinum reor esse nominandum multis de caussis, maximeque, quod illi convenit delineatio, quam R. Maimonides facit his verbis חוכות אלכסנדריאה שפיהן רחב ושוליהן קצר *pocula Alexandrina, quibus os latum, & fundus angustus*; imo omnino eadem pocula visuntur in nummis Samaritanis, quorum nummorum auxilio restitui potest poculum Isiacū injuria temporum corrosum. Non enim forma discrepant inter se, imo γνήσια esse videntur; eodemque modo Basim tornatam tenent, ac utrisque scaphus a basi tanquam fulcrum poculi adsurgit: fundum etiam ambo habent angustum, os vero latum. Ita & calices fuisse Argivos proditum a Simonide Amorgio, quibus φοξαὶ ἦσαν τὸ χεῖλος *distorta enim labra*, contra ve-

In charact. p.35. ed. Casaub.

In tract. de sanctuario c.3. .18.

Ap. Relan. in dis. de num. vet. Hebr. p.1.

Ap. Ath. l. 11. p. 480.

* erant ex pag. 109.

vero Atheniensium calices labris rectis ornati. Utrique tamen ἐπίσημοι *in pretio*. Accedit etiam, quod ex sculptura, quæ in poculo inspicitur, magis ac magis sententia nostra confirmatur, illud ad exemplar Alexandrinorum fuisse efformatum. In Ægypto enim Strabo refert τινὰ ὑαγίτιν γῆν *quamdam terram vitrariam* gigni, quæ ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ παρὰ τῶν ὑαλουργῶν *a vitrariis Alexandrinis* ita tractabatur, ut sumptuosa quædam, & multorum colorum opera perficerentur. *Calices Ægyptios operis diversi* vocavit Gallienus Imperator; quique Hadriano exhibiti, donoque dati a Sacerdotibus Ægyptiis, ut ex Epistola quadam ejusdem Hadriani refert Vopiscus. Qui vero illos perforabant, cælabant, sculpebant Artifices *Diatritarii* appellati in Codice. Unde Ulpiano *calices diatreti*, Martiali *diatreta*. Apud Græcos etiam in pretio fuisse vitrea pocula constat ex Aristophane

Ap. Treb. in vit. Claud.

Lib. 12. ep. 71.

In Acharn. v. 73.

ἐκπίνομεν

ἐξ ὑαλίνων ἐκπωμάτων, καὶ χρυσίδων

ἄκρατον οἶνον ἡδύν.

Sed de his alibi Caryophilus locutus. In poculo nostro sculptam videmus arborem,

In differt. de Mercat. Antiq. p. 67 68.

rem cui fructus orbiculati ab extremis ramis pendent. Palmam ſuſpicor eſſe, quæ ἐν Αἰγύπτῳ γίνεται *in Ægypto gignitur*; cuique Theophraſtus fructus tribuit σφαιροειδέις ὥσανεὶ μῆλα *rotundos in modum malorum*. Hactenus ex Schedis Amici.

Dioſcor. Lib. 1. c. 148.

l. 11. hiſt. plant. c. 8.

Sed quoniam de Poculo hactenus ſumus locuti, extra propoſitum aberrare non videbor, ſi de Lucerna Iſiaca pauca addam. Lucerna hæc erat inſtar Cymbii potorii efficta, ſeu Nucis amygdalinæ, in qua ellychnium medio in loco ſtatui poſſit, cum utraque extremitas anguſta ſit, in acutum tantiſper deſinens, cujus medium ſeſe latius aperit: quod de Antiſtite Sacrorum Iſidis explicuit Apulejus: *Quorum primus lucernam præmicantem claro porrigebat lumine, non noſtris conſimilem, quæ veſpertinas illuminant epulas: ſed aureum* Cymbium *in medio ſui patore flammulam ſuſcitans largiorem*. Callimachus pariter de lucernis Iſidis, λύχνοις Ἴσιδος meminit. Verum de his conſule Caſalium, Saubertum, &, ut omnia tibi occurrant, V. Cl. Samuelem Pitiſcum in ſuo Antiquitatum Romanarum eruditiſſimo Lexico.

Ibid.

Epigr. 53. p. 227. Ed. Vltraject.

Apparet quoque in ſuperiore marmoris parte in medio faſtigio Manubrium

quoddam, quod oculos ſculptoris effugit. Fortaſſe aut caducei, aut ſiſtri figura eo in loco ſpectabatur. In eodem ſummo ſpatio dextrorſum Orbes emicant, quos in Lunæ morem ductos intuemur. De Luna ſatis ſuperius verba fecimus. Harpocratis Signum pulcherrimum ad ſe nos vocat.

CAPUT XII.

De Harpocrate pauca. Lotus. Arbor Persica Isidi, & Harpocrati sacra. Clauditur Dissertatio.

AD quartum Isiaci Marmoris latus pervenimus, ubi Harpocratem Cornucopiam brachio sustinentem elegantissime expressum contemplamur. Filius Isidis atque Osiridis habebatur, ut in Capite Quinto, quod vide, aperte demonstravi. Eum Ægyptiorum Numinum perpetuum comitem fuisse accepimus, atque ubi Serapis, atque Isis habitavit, ibi etiam Harpocratis simulacrum extitisse. Certe hinc factum est, ut in antiquis monumentis hæc Numina sæpissime conjungantur, ut pariter in nostro hoc Marmore possumus facile animadvertere. Digitis, quibus os pulcherrime premit, Isidis, ac Serapidis, quibuscum colebatur, sacra indicat non esse enuncianda: aut videtur, quemadmodum alii interpretantur, monere, ne quis evulgaret, Deos illos, Isidem scilicet, ac Serapidem in hominum numero extitisse. Alii, quod silentium quodammodo indi-

cat, ſilentio præeſſe dicunt, ut paſſim apud veteres, ac recentiores auctores percipere quiſque poteſt. Id enim tam tritum eſt, atque in medio poſitum, ut tempus ulterius non eſſe mihi conterendum videatur.

Plerumque nuda Harpocratis ſimulacra exhibentur, lævo brachio tantummodo, quod Cornucopiam ſæpe tenet, velamentum neſcio quod ad imos fere pedes demittente, ut in illis ſignis, quæ a
Pag.285. Baudelotio, & a Cupero proferuntur, cuique licet obſervare. Harpocratis vero noſtri imago id præ ceteris rectiſſime oſtendit.

Baudelotius, cum Harpocratem quoque inter Panthea ſigna, ut jam ſuperius attigi, atque inter Deos Lares collocet, caninis pellibus protegi illum declarat aliquando, quod regumentum *Velleris* etiam nomine intelligi poſſe contendit, ut apud eumdem ſcriptorem curioſis licet perdiſcere. Non omittam tamen
Pag.253. pulcherrimam Inſcriptionem ab ipſo allatam, unde fit palam, exiſtimaſſe veteres Iſidem ſibi propitiam reddere, ſi illi ſignum Harpocratis aut muneris, aut voti cauſſa obtuliſſent.

ISIDI
SIGNUM HARPOCRATIS
C. DIDIVS
ACVTIANVS
DON. DED.

In Harpocrate noſtro duo ſolum perpendi debere cenſeo, foramen, quod in ejus capite apparet, & Perſicæ Arboris folium, quod in ſumma cornucopia altius ſe extendit. Nihil aliud certe illud foramen ſignificat, quam inibi Lotum Ægyptiacam collocatam, quippe quæ jam Soli conſecrata dicitur. Lotus Ægyptiaca a me intelligitur, quæ Lilio ſimilis; imo Lilium ipſum Ægyptiacum ex Herodoti ſententia, a ceteris habetur au- Lib. II. ctoribus. Loti porro duo eſſe genera ſolo diſcreta colore docet Magnus Spanhemius. Alterum tradit roſacei coloris, Differt. Sex. p. 101. poſt. edit. quod idem ſit cum *Colocaſia*, ſeu *Faba Ægyptia*: alterum flore albo, & Lilio ſimili, quod nihil ſit aliud quam *Nimphæa Nilotica*. Sunt tamen qui hæc miſceant. Ceterum nihil magis vulgare eſt quam Lotus in Nummis Ægyptiacis. Sunt in-

ter reliquos duo insignes in Ægypto cusi sub Hadriano & Antonino, quorum alter Harpocratem Loto insidentem exhibet, digitumque ori admoventem: alter Isidem Horo ubera præbentem. Aperte Jamblicus docet, Deum *super Lotum sedere*, additque eo symbolo denotari ejus cum *eminentiam*, & *potestatem*, tum etiam *facultatem præsidendi*, quod in Loto omnia, flos nempe, & fructus, sint in circuli morem efformata: Deumque per se solum sedere expansum, quod in se ipso penitus quiescat. Ita iidem Ægyptii, teste Plutarcho, Solem infantem e Loto prodeuntem fingunt, dum ita Solis ortum exprimere in animo habent, significantes, quomodo is ex humidis accendatur. Huc spectant, quæ de Loto & a Dioscoride, & a Plinio narrantur. Ille hæc habet: *Est & in Ægypto Lotus, quæ in campis flumine inundatis provenit caule fabæ, flore parvo, candido, lilio simili, quem tradunt, occidente Sole, comprimi, occludique, ad ortum autem aperiri: adduntque caput ipsum vespera aquis condi, & ad exortum Solis emergere*. Hic eadem de eadem Loto scribit, ac præterea illam Ægyptiis usum panis præbuisse: *Est autem eodem nomine & herba, & in Ægypto caulis in* pa-

Apud Tristanum.

De Myst. Ægypt.

De Isid. & Osirid.

Lib. 4.

Lib. 13. cap. 17.

paluſtrium genere. Recedentibus enim aquis Nili riguis provenit ſimilis fabæ, caule, foliiſque denſa congerie ſtipatis, brevioribus tantum gracilioribuſque: cui fructus in capite papaveri ſimilis inciſuris; omnique alio modo, intus grana, ceu milium. Incolæ capita in acervis putrefaciunt: mox ſeparant lavando, & ſiccata tundunt, eoque pane utuntur. Mirum eſt quod præter hæc traditur: Sole occidente papavera ea comprimi, & integi foliis; ad ortum autem aperiri, donec matureſcant, floſque, qui eſt candidus, decidat.

Lotus apud Ægyptios inſuper tanto in pretio erat, ut familiare illis inſigne capitis extiterit, quemadmodum apud Græcos, ac Romanos Laurum, & Quercum accepimus. Hoc ex Heliodoro colligimus, qui tradit præconum *capita Nilotica Loto redimita*. Ad hunc locum pertinet Patini Nummus, in quo juxta Ægyptiorum ſymbola Canopi caput ſuper Hydriam impoſitum cernitur ſimili ornamento diſtinctum.

Lib. 10.

Numiſm. Imperat. p. 156. 134.

Nonnunquam vero floris loco, fructum ipſum Loti adhibitum videas inter duo folia collocatum. Loti enim fructus tanta a Theophraſto traditur magnitudo, quanta maximi papaveris eſſe conſuevit.

Lib. 4. cap. 10.

Eodem capitis ornamento videmus Osiridem decoratum in quodam Ægyptiaco Trajani Numismate, quod Seguinus vulgavit. Regibus quoque, ac Reginis ab Ægyptiis ejusmodi honorem habitum passim Nummi testantur. Juncta enim cernimus Ptolemæorum una cum conjugibus capita, quæ florem illum in vertice gerunt, aut Diadema, quod in similem florem desinit. Sed de Loto quid plura? In Gemmis etiam Basilidianis illa occurrit frequenter: nec tantum Isidi, ac Soli, & Harpocrati, verum etiam Diis Laribus consecratam existimat Baude-
Ibid. lotius.

In Cornucopia inter alia Persicæ Arboris folium bellissime attollitur. Persicam enim Isidi, atque Harpocrati dica-
Pag.21. tam scriptores retulerunt. Cuperus tamen Harpocrati uni Persicam tribuit, quippe qui linguæ præesset, & illi *lingua fortuna, lingua genius* acclamaretur. Ajunt præterea huic Numini hanc Arborem devotam quia fructus cordis, linguę speciem
V. pag. 111 folia repræsentant.* Pignorius profert
Symbol. Epist. epistol. 23. signum Osiridis, cujus caput tegit Persicæ arboris pomum. Verum de Loto, Persica, Strobilo, seu Nuce Pinea Ægyptiacis Numinibus sacra, atque aliis de

cæ-

cæremoniis ad Isidem & Serapidem, Harpocratemque pertinentibus consule Salmasium, Saldenum, Pignorium, Spanhemium, & potissimum Cuperum, qui de Harpocrate tam diligenter disputavit, nullas ferme ut nobis spicas colligendas reliquerit. Plinian. Exerc. De Diis Syris.

Hæc habui, Pater Reverendissime, quæ per maximos, qui tenuerunt Romæ calores de tuo Isiaco Marmore, deque illis, quæ in eo continentur, pro virili disputarem. Atque omnia, quæ ad meum hoc institutum firmandum produxi, Tibi ac Casanatensi celeberrimæ Bibliothecæ accepta refero libenter, cui quidem per exiguum admodum temporis spatium magnopere me obstrictum cum profitear, utinam occasio mihi in posterum oboriatur alia, propter quam illi videar obstrictus impensius, oblata mihi opportunitate scribendi aliquid, unde major gloriæ seges, si tamen id per hanc meam tenuitatem licebit unquam, in eam proficiscatur. Velim hæc interim Tibi, ac ceteris, qui suam erga me, ac mea qualiacumque studia, cum primum huc perveni, sunt mihi polliciti egregiam voluntatem atque constantem, trimestris hujus otii mei rationem reddant, quod

tamen non ita in hoc uno collocavi, ut partem etiam aliis non addicendam statuerim. Imo ut verum fatear, raptim hæc fere ac tumultuarie collegi, sperans, fore ut his Exercitationibus possim aliquando iterum admovere calamum; dum in medio opere animadverti alia via de Isiacis cæremoniis fuisse mihi disputandum, atque explicandum Lapidem, Græcam videlicet cum Romana eruditione perpetuo consensu jungendo. Quod quidem sensi plane ita posse fieri, ut liceat, suis Pignorio, & suis Cupero relictis, atque omnibus, qui hunc campum diligentissime percurrerunt, adducere multa, per quæ lux clarior ad Deos illos Ægyptios accedere videatur. Atque hæc non perinde a me dicta velim, ac si per hanc excusationem belle petitam, nugas has meas tueri in animo habeam, atque ab illorum reprehensione defendere, qui in utraque laude, in Græcis videlicet ac Romanis literis, doctissimorum virorum sententia principatum sunt adepti. Liber enim seu raptim, seu mature conscriptus, cum semel in lucem est editus, debet judicia hominum justa atque injusta patienter sustinere, tamquam non amplius juris sui, sed omnium,

nium, ac Reipublicæ factus ; quemadmodum huic meo libello continget, quẽ imo cum Scriptore ſuo ſubire velim alacriter judicium eruditiſſimorum , quorum CLEMENTINA hac ætate tanta eſt Romæ frequentia, ut florentiſſimis Auguſti temporibus invidere literæ nihil poſſint, cum in præſtantiſſimam hanc Urbem quaſi in ſuum Regnum Romana vere CLEMENTIS XI. munificentia vocatæ , altæ, ſummiſque donatæ honoribus immigraſſe videantur. Propterea qui homines dediti ſtudiis ex oppidis præſertim exiguis profecti huc accedunt , ſi quam ſcientiæ opinionem ſecum attulerint , ſtatim deponant oportet omnem , cum quæ alibi aut propter librorum inopiam , aut eruditorum ſolitudinem , ſumma , rara , ac numeris omnibus abſoluta admiramur , hic ea mediocria , pervagata , ac tironum in diſciplinis ore paſſim circumlata exiſtimentur . Hac certe de cauſſa mihi ſemper eſſe duxi pertimeſcendam hanc tam cito in Urbe tanta ad famam emergendi celeritatem, cum a quovis genere eruditionis huc ferme nudus advenerim , & in opportuniſſima ſtudiis occaſione modico hoc tempore exiguum admodum fructum ſim conſecutus . Quare notum ac teſtatum

tum velim omnibus, me hoc Opusculo in lucem producto, Apellis exemplo post siparium arrectis adstantem auribus vitia, quæ notabuntur, auditurum, & quæ juste reprehendi cognovero, secundis curis emendaturum, ne nimis hujus obscuri fœtus amore peccasse videar. Non enim, ut ille ait, indignabor objectum quod nesciam, sed gaudebo oblatum quod discam. Equidem iisdem excitor discendi igniculis, quibus tot Viri Clarissimi; qui studiorum caussa huc venientes non solum effusum Maximi Principis in bonas artes amorem, sed luculentum doctrinæ, atque eloquentiæ, virtutumque omnium propositum ob oculos exemplum cum habeant, coguntur vel inviti æmulari tantum Suasorem, exaudiendum certe, cum faciat ipse quæ suadeat, cernamusque cuncti facientem. Nam quid ab eruditorum ordine desideretur, quod eorum studiis promovendis inservire possit, plane non video. Sanctissimi Pontificis immortali beneficio ac laudi debemus Typographiam Vaticanam instauratam, quam in Archigymnasio Sapientiæ tam magnifice habitantem intuemur, ut Magnus Rex, ac Princeps invisendam statuerint esse sibi, adeun-

dam-

damque ſtatuant externæ gentes ſemel atque iterum; prælis elegantiſſimis, ac formis pulcherrimis inſtructas ſedes, ornataſque admiratæ. Sed ne libri etiam doctrinæ ac ſanctitatis omnigena copia exuberantes deſiderarentur, proprio CLEMENTIS XI. conſilio propriaque liberalitate factum eſt, ut ex remotiſſimis Regionibus, atque ex Ægypto præſertim per Viros peregrinarum linguarum ſcientia inſignes innumeri ferme Codices huc aſportarentur, quibus Bibliotheca illa Orientalis CLEMENTINO-VATICANA, quæ paucis ab hinc diebus in conſpectum prodire cœpit, incredibili omnium fructu conficeretur. Præterea ne locus deſit, in quem cohors ſtudioſa commode convocaretur, Bibliothecam alteram, Caſanatenſem videlicet amplificandam decrevit, quo certe hoc potiſſimum tempore tot Romani, exterique accurrunt, ut Maximi Inſtauratoris imperio ac providentia rectiſſime utantur, dum ſubſellia abacique ſtudioſis ſæpiſſime deficiunt. Itaque cum multis in rebus Deo Optimo Maximo gratias agere debemus, quod Romæ, ac totis Chriſtianis terris prudentiſſimum, atque ampliſſimum Pontificem hac tempeſtate præ-

præesse voluerit, qui pro ejus singulari sapientia, atque incredibili virtute Rempublicam Christianam bene gerendo, Divorum immortalium templa colendo, Sanctissimas Religiones observando, felicitatem quamdam universis, Sibi æternum nomen compararet; tum etiam quod barbarorum studiorum calamitatem, quantam superioribus annis pertulimus, per Eumdem a nobis tandem everterit, veramque invexerit discendi laudem, ac rerum omnium, quæ ad literarum incrementa pertinerent, abundantiam intulerit. Non solum igitur ab omnibus, quibus curæ est, nequid Christiana Respublica detrimenti capiat, sed a Societate potissimum Eruditorum sunt Deo nunc & in posterum preces fundendæ enixe pro Optimi Principis incolumitate, ut nobis diutius servet ac sospitet studiorum ac vitæ nostræ eximium Rectorem, ac Magistrum, omnino CLEMENTEM XI. cujus vivere omnibus, sed literatis præcipue benefacere est.

ADDENDA

Ut in omnibus fere libris, ita hisce in Exercitationibus pauca quędam Sphalmata reperientur, quæ vel sustineat patientissimus Lector, vel per se ipse libenter corrigat. Tantum moneo in Capite X. lin.18. post verba *de Ansere* pag.81. *quoque quæ*, supplendum esse *Avis*. Anser enim masculini generis est, ut equidem feci pag.86. lin.25. Et in Capite XI. pag.93. lin. ult. legitur *enim* pro *erant*. Alia qui hæc legere potuerint, eorum benignitati permittuntur.

In Capite IV. pag.25. Inscriptio tertia, quam ex Baudelotio dedi, observanda est, ubi legitur OPTIO. TABELLIORUM. Nusquam *Tabellius*, neque in Grutero invenire potui. Propterea Typographi Parisiensis potius errorem putarem, cum deberet TABELLIONUM fortasse ponere.

In Capite VII. pag.55. Ea Propertii carmina scripsimus ex Beroaldi sententia, qui ita illa interpunxit. Verum in Parisiensi Editione 1683. ii priores tres versus hoc pacto sunt scripti:

Hic ubi tam raræ *non perit hora moræ.*

Qua

Qua sacer abripitur cæco descensus hiatu,
Qua penetrat Virgo, tale iter omne cave.

Ubi Philippus Silvius, quem consules, improbat Beroaldi lectionem, qui putavit illac ad Orcum fuisse descensum. Ille vero antiqua verba secutus, quæ non *Tartareæ*, sed *tam raræ* habebant, temporis ait *moram* dici *raram*, quod nimirum raro spectaculum illius superstitionis videre liceret.

In Capite VIII. pag.64. Adde. Isis etiam sub forma Leonis, & facie muliebri occurrit nonnunquam in Nummis Ægyptiorum, sicut in quodam Antonini Pii Numismate, quod servat Gaza Medicea, ut habet Magnus Spanhemius in Quarta Dissertatione *de Præstantia, & usu Numismatum.*

In Capite X. pag.79. ubi de Hercule salutis Præside locutus sum, collocabuntur duo hæc carmina, ex lib.5. Fab.4. elegantissimi Phædri desumpta, quibus præclare sententia illa nostra statuitur.

Quidam immolasset Verrem cum Sancto Herculi,
Cui pro salute Votum *debebat sua.*

In

In Capite XII. pag.102.lin.25. ubi sermo est de Persica Arbore, hæc etiam pone ex Plinii Historia lib.13. cap.9. *Simulacra ex ea*, nempe Persica, *factitavere Ægyptii*.

FINIS.

AD

AD JOANNEM OLIVAM

Hendecasyllabi

PANTALEONIS BORZII.

NIhil non series terit dierum,
Nihil non fuga temporum vorabit;
Ipsa Numina nesciunt tueri
Quas eis homines domos dicarunt.
Patrem Juppiter, Hercules novercam,
Typhonem Pharii timet Canopi
Custos Isis, & Isidis maritus;
Quorum templa loco quod in priore
Post tot sæcula lapsa collocasti,
Viso Marmore, quod tuo libello
In magnum decus evocasti amice,
Quamvis Harpocrates premat labellum,
Te Gens inclyta Romuli loquetur.

